DOCTRINAE TEMPORUM
VERBI GRAECI ET LATINI

EXPOSITIO HISTORICA.

PARTICULA TERTIA.

SCRIPSIT

HERMANNUS SCHMIDT

PHILOS. DOCT. SCHOL. [illegible]

HALIS SAXONUM

IN LIBRARIA ORPHANOTROPHEI.

cIↄIↄcccxxxix.

Decurso eo, quod adhuc persequuti sumus, doctrinae temporum spatio a calce iam nobis redeundum paene ad carceres est. Priusquam enim Stoicorum ratio eo, quem exposuimus, modo a Varrone praecipue et Harrisio amplificata esset, nova aliqua, quae includi in eam non poterat, temporis forma reperta et aoristi nomine nuncupata erat. Cuius quidem temporis vis et significatio quo subtilius a primis linguae auctoribus excogitata est, eo plus difficultatis creavit investigatoribus eius. Consulto igitur adhuc intactam reliquimus eius historiam, ut et uno tenore possemus et dilucidius eam nunc persequi.

Detectum hoc tempus videtur ab Alexandrinis fuisse; nomen certe aoristi in iis, quae ad nos pervenerunt litterarum Graecarum monumentis primum apparet in Dionysii Thracis grammatica. Quod autem ad vim et significationem attinet, in eo quidem consentiunt omnes fere, aoristo indicari indefinitum tempus, at qualis sit haec indefinita vis, de ea re admodum variae sunt et discrepantes eorum sententiae. Et omnium primus quidem Apollonius Dyscolus *) definivit eam

*) Loquutus quidem iam Aristoteles est de tempore *ὡρισμένῳ* et *ἀπείρῳ*, at longe aliam ille, atque grammaticorum ratio postulat, sub has voces vult notionem subiectam esse. Postquam enim (de auscult. natur. lib. IV. c. 19.) adverbio *νῦν* dixit simul et terminum et copulam praeteriti et futuri temporis significari *ἄλλο δὲ*, inquit, *ὅταν ὁ χρόνος ὁ τούτου* (i. e. *τοῦ νῦν*) *ἐγγὺς ᾖ· ἥξει νῦν, ὅτι τήμερον ἥξει· ἧκε νῦν, ὅτι ἦλθε τήμερον. τὰ δ' ἐν Ἰλίῳ γέγονεν οὐ νῦν οὐδὲ ὁ κατακλυσμὸς* (intellige *Δευκαλίωνος*) *γέγονε νῦν καίτοι συνεχὴς χρόνος εἰς αὐτά, ἀλλ' ὅτι οὐκ ἐγγύς* (intell. idcirco non dicuntur illa *νῦν* facta esse) et §. 16. *Τὸ δὲ ποτὲ χρόνος ὡρισμένος πρὸς τὸ πρότερον* (recte du Vallius addendum censet *καὶ τὸ ὕστερον*) *νῦν οἷον ποτὲ ἐλήφθη ἡ Τροία· καὶ ποτὲ ἔσται κατακλυσμός. δεῖ γὰρ πεπεράνθαι πρὸς τὸ νῦν. ἔσται γὰρ ποσός τις ἀπὸ τοῦδε χρόνος ἐς ἐκεῖνο καὶ ἦν ἐς τὸ παρελθόν.* Quibus quidem verbis facile quis in eam adduci opinionem possit, ut Aristotelem existimet priore paragrapho perfecti, posteriore aoristi et imperfecti vim significare voluisse; at neque *συνεχὴς χρόνος* apud eum significat eam temporis perfecti vim, qua res eo expressa refertur ad praesens tempus, sed naturam temporis universam, quam in omnium constat momentorum quadam continuitate cerni, neque *ὡρισμένον* seu *πεπερασμένον* tempus intelligendum est id, quod grammatici nunc appellare solent definitum tempus, sed opponitur illud ut aliqua pars temporis *χρόνῳ ἀπείρῳ* (lib. IV. c. 1.) i. e. universo nec ullis finibus circumscripto tempori.

ita, ut aoristum dicat tempus esse perfectum, a vero autem perfecto et a plusquamperfecto differre hoc modo, ut perfecto designetur tempus modo, plusquamperfecto tempus pridem perfectum, aoristo autem prorsus incertum et indefinitum relinquatur, utrum modo id an pridem perfectum sit, quapropter **m o d o** illud adiectum ei vim tribuat perfecti, **p r i d e m** vim plusquamperfecti. Leguntur enim apud eum (de adv. p. 534.) haec verba *οἷόν τε μὲν γὰρ ἐπὶ τοῦ ὑπερσυντελικοῦ τοῦτο φάναι, π ά λ α ι ἐ γ ε γ ρ ά φ ε ι ν, π ά λ α ι ἠ ρ ι σ τ ή κ ε ι ν, οὐ μὴν ἔτι ἐπὶ τοῦ παρακειμένου, ἐπεὶ τὸ ἅμα νοήματι ἡνυσμένον δι᾽ αὐτοῦ νοεῖται, τὸ δὲ πάλαι ἡνυσμένης πράξεώς ἐστι παραστατικόν· ὁ γοῦν καλούμενος ἀόριστος προσλαβὼν τὸ πάλαι ὑπερσυντελικὸς μᾶλλον ἀκούεται· ἐμπεριέχει γὰρ τὸ παρῳχημένον τοῦ παρακειμένου καὶ τοῦ ὑπερσυντελικοῦ, ὥς γε καὶ ἐπὶ ὀνόματός ἐστιν ἐπινοῆσαι κοινότητα ἀρσενικοῦ καὶ θηλυκοῦ· ἔνθεν καὶ τῆς ὀνομασίας ἔτυχε, κατὰ ἀπόφασιν εἰρημένος τοῦ μὴ ὁρίζειν τὸν παρῳχημένον, διὸ καὶ κατὰ ἀπόφασιν τῶν προειρημένων δύο, χρονοων ἐθεματίσθη.* Retinuerunt hanc definitionem ex veteribus **S t e p h a n u s** *) **C h o e r o b o s c u s** **), **P r i s c i a n u s** ***), ex recentioribus **U r b a n u s B e l l u n e n s i s** †), **P h i l i p p u s M e l a n c h t h o n** ††), **S i l v e s t r e d e**

---

*) B e k k. Anecdd. II. p. 891. *ὁ δὲ ἀόριστος κατὰ τὴν ἀοριστίαν τῷ μέλλοντι συγγενής· ὡς γὰρ τοῦ π ο ι ή σ ω τὸ ποσὸν τοῦ μέλλοντος ἀόριστον, οὕτω τοῦ ἐ π ο ί η σ α τὸ τοῦ παρῳχημένου. τοῦ ἄ ρ τ ι τοίνυν τῷ ἀορίστῳ διδομένου γίνεται παρακείμενος, οἷον ἐποίησα ἄρτι — πεποίηκα, τοῦ δὲ π ά λ α ι προσνεμομένου ὁ ὑπερσυντελικὸς γίνεται, οἷον ἐποίησα πάλαι — ἐπεποιήκειν.* Cf. verba incerti grammatici ib. p. 889.

**) Ibid. III. p. 1281. *Ἐὰν τὰ παρελθόντα ἄδηλα ὦσι πότε παρῆλθον, ἀποτελεῖ τὸν λεγόμενον ἀόριστον, οἷον ἔτυψα· ἄδηλον γὰρ εἴτε νεωστὶ εἴτε πρὸ πολλοῦ· διὰ τοῦτο καὶ ἀόριστος λέγεται. ἰστέον δὲ ὅτι ὁ ἀόριστος, ἐὰν μὲν προσλάβῃ τὸ ἄ ρ τ ι, ἰσοδυναμεῖ τῷ παρακειμένῳ, ἐὰν δὲ προσλάβῃ τὸ π ά λ α ι ἰσοδυναμεῖ τῷ ὑπερσυντελικῷ.*

***) E d. K r e h l. I. p. 399. Aoristus apud Graecos tam modo perfectam rem quam multo ante significare potest; ib. p. 429. *ἀόριστος* h. e. praeteritum infinitum spatium temporis, utrum paullo ante an multo sit perfectum.

†) Institt. ling. Gr. Si praeterita incerta sint, quando praeterierint, perficiunt *ἀόριστον*; incertum est enim, utrum paullo ante an multo ante praeterierint et propter hoc *ἀόριστον* i. e. indefinitum dicitur et indeterminatum. Sciendum *ἀόριστον*, si assumpserit *ἄρτι* tantum valere quantum *παρακείμενος*, si autem *πάλαι* parem esse praeterito plusquamperfecto.

††) G r a e c. g r a m m a t. (Ed. Secer. 1521. Camer. 1558) *Ἀόριστος* a *παρακειμένῳ* differt, quod *παρακείμενος* praeteriisse rem primum iam (erst eben) indicat, *ἀόριστος* praeteriisse quidem rem sed indefinite, num olim an modo praeterierit, ut quum dico *πέπτωκα* indico primum me iam cecidisse, quum vero *ἔπεσον* dico cecidisse me dico sed ambiguus est quicum loquor, olimne an nuper ceciderim. Quae duplicis praeteriti ratio vel hoc probatur mihi, quod actus alios paracimeno, alios aoristo significantius exprimimus. Tunc malebas paracimeno expressum hoc Homeri: *τοὔνεκ᾽ ἄρ᾽ ἄλγε᾽ ἔδωκεν ἑκηβόλος ἠδ᾽ ἔτι δώσει?* Convenit *ἔδωκεν* indefinitum esse, quia et olim et nuper Graecos Apollo afflixit. Nil addebat definita temporis ratio et huic sententiae *σὺ δὲ σῷ μεγαλήτορι θυμῷ εἶξας* .... At referebat temporis modus

Sacy *). Niti eam patet definitione perfecti et plusquamperfecti veteribus magistris probata. Huius autem auctoritas quum a Scaligero, ut demonstravimus, ita labefactata esset, ut vix quisquam post eum notionem modo et dudum praeteriti temporis tribueret propriam illis, fieri non potuit, quin aliter ex eo aoristi etiam vim definire conarentur grammatici. Et primum quidem id factum videtur in Clenardi institutionibus grammaticae Graecae, ubi annotatio, nisi opinio me fallit, Henrici Stephani exstat haecce: „Vulgo aoristum ita appellari aiunt, quia non liqueat, paullone an multo ante praeterierit. Sed hic usus aoristi vix unquam a scriptoribus observatur. Verius igitur sic dicitur, quia nunc pro perfecto nunc pro plusquamperfecto, quandoque etiam pro imperfecto ponatur." Ergo quum antea grammatici indefinitam aoristi vim in eo posuissent, ut ubique eo incerta aliqua temporis praeteriti pars significaretur, ille, quicunque est, in singulis dicebat locis certum eo et definitum aliquod tempus praeteritum at aliud significari in aliis. Quae quidem definiendi ratio tam probabilis videbatur iis, qui sequebantur, grammaticis, ut, quum indicativum aoristi animadvertissent interdum de iis rebus dici, quae valerent in omnem aetatem, reliquas autem eius formas saepe et de praesentibus videri et de futuris usurpari, non dubitarent contendere, promiscue eum non de quovis praeterito tantum sed de omni tempore dici eamque ipsam ob causam rectissime *ἀόριστον* seu indefinitum tempus appellatum esse. Primus hoc docuisse videtur Sylburgius, qui Stephani praeceptum modo commemoratum, aoristum nunc pro perfecto nunc pro plusquamperfecto interdum pro imperfecto poni, eodem loco ita corrigit: „imo non praeteriti tantum sed crebro etiam praesentis significationem habet, praesertim in infinitivo, interdum et futuri, maxime in imperativo et subiunctivo." Eodem modo post eum iudicaverunt Gretserus **),

---

hoc loco *ἧζον δ' εἰν ἀγορᾷ τετιηκότες*, quum significaret poeta, novo malo iam labefactatos principum animos.

*) Gramm. univers. a Vatero conversa in patrium sermonem p. 150. et p. 171.

**) Institt. ling. Gr. „Aoristi respondent praeteritis Latinorum. Licet enim nonnulli tradant, incertam esse significationem, paullone ante res praeterierit an multo, id tamen vix observatur ab auctoribus, ut exemplis passim obviis ostendi potest. Probabilius est quod alii dicunt, haec tempora vocari aorista, seu indefinita, quod habeant significationem interdum quidem praeteritam, aliquando futuram, nonnunquam praesentem; praeteritam ut in exemplis allatis, praesentem praecipue in infinitivo, ut . . . Eandem rationem habet interdum aoristus in indicativo. Isocr. ad Demon. *κάλλος μὲν γὰρ ἢ χρόνος ἀνάλωσεν ἢ νόσος ἐμάρανε.* In imperativo et subiunctivo saepe subit aoristus vicem futuri, *τύψον* verberato tu vel verberabis *ἐὰν τύψω* si verberavero, quamvis frequenter eiusdem prorsus significationis sit cum praesenti.

Ursinus *), Perizonius **). At linguae parens et moderatrix est ratio, a ratione autem nihil patet, in quo desideretur ratio produci posse. Quae vero, quaeso, ratio foret in ea verbi forma, quae nullo alio consilio nisi ut vice fungeretur aliarum formarum excogitata esset? Imo vero haec in singulis verborum formis dominatur lex et regula, ut sua cuique eaque tam certa et propria sit notio, ut etiamsi illae interdum inter sese videantur commutatae esse, haec integra tamen et illibata semper maneat. Ex eiusmodi igitur peculiari aoristi vi promiscuus eius usus explicari neque hic usus contra pro vi ipsa eius haberi debebat *).**

Atqui tantum ex iis, quae adhuc disputata sunt, videtur perspicuum esse, ea quidem via, qua Apollonius eiusque et imitatores et emendatores aoristi vim investigare studuerant, non potuisse ad eum, quo contendebatur, finem perveniri. Quum enim singulorum cancelli temporum ita ab illis aoristo aperti essent, ut summa cum licentia hic per omnia impune vagari posset, nulli profecto ipsius temporis fines, quos infinita illius vis potuisset egredi, iam amplius reliqui erant. Alia igitur via tentanda et revera iam dudum a duobus ipsius Graecae nationis grammaticis Theodosio Alexandrino et Maximo Planude tentata erat. Horum enim ille in libello *περὶ γραμματικῆς* **a Goettlingo edito p. 145. postquam tempore perfecto**

---

*) Institt. ling. Lat. (Ratisp. 1701) p. 540. Grammat. Gr. (Norimb. 1691 et 1714) p. 167. *Ἀόριστον tempus nullum tempus* certum determinate connotat sed indefinite includit et comprehendit actu omnia cum illiminatae cuiusdam continuitatis significatione. Inde factum est, ut ad quaevis tempora significanda sit adhibitum et a Latinis omnium temporum verbis redditum vel per solere, consuesse et ab ipsis quoque Graecis nunc praesenti nunc futuro variatum. Subsequens tamen dicendi consuetudo verba huius temporis in indicativo et participio ad praeteriti consignificationem saepius restrinxit. In caeteris modis indefinite cuivis tempori significando inserviunt. Multis tamen in locis apud vetustiores praesertim nativam et propriam vim suam etiam in indicativo sed verbi fere activi aut deponentis retinent.

**) In annott. ad Aeliani var. hist. (a. 1701) lib. I. cap. 4. Forma haec idcirco dicitur *ἀόριστος*, quia nullum certum vel ubique idem tempus sed modo praeteritum modo praesens vel id quod fieri solet denotat atque idcirco etiam passim in narrationibus rerum promiscue videas a Graecis adhibitam praesentis et aoristi formam.

***) Hermannus de emend. rat. Gr. gr. p. 189. etsi recte eorum errorem, qui aoristum de quovis tempore adhiberi contendunt, redarguit, illud tamen minus recte contra eos monere videtur „in Graeco quidem verbo ad significationem cuiusque temporis propriam indicativum tantum adhiberi posse, quum reliquorum modorum admodum varia et multiplex sit significatio.“ Propria enim cuiusque temporis vis non pendet ex primaria universi temporis divisione in praesens, praeteritum et futurum sed ex ratione, quae inter singula haec tempora et actionem verbo expressam intercedit. Hanc autem in illis, quae adhuc tractavimus, temporibus non minus cerni in reliquis modis quam in indicativo quis est quin intelligat? In aoristo autem, si vera eius significatio perspecta est, rem se habere eodem modo ex iis apparebit, quae disputabuntur postea.

dixit actionem significari modo absolutam ita pergit: *ὅταν δὲ μετὰ τὸ τελειῶσαί με τὴν ἐνέργειαν διέλθῃ καιρὸς, εἰ μὲν ὡρισμένος εἴη, ὁ τοιοῦτος χρόνος ὑπερσυντελικὸς ὀνομάζεται, ἐὰν δὲ ἄγνωστόν ἐστι καὶ ἀόριστον ὁπότε τῆς ἐνεργείας ἐπαυσάμην, ὁ τοιοῦτος χρόνος ἀόριστος ὀνομάζεται, οἷον τὸ ἔτυψα καὶ τὸ ἔγραψα· ἀόριστον γάρ ἐστι πότε ἐπαυσάμην τοῦ γράφειν καὶ τύπτειν* *). **Ecce definitionem aoristi iis, quas adhuc cognovimus, prorsus disparem. Ex incertis enim quasi erroribus, in eosdem eum, quibus reliqua tempora contineri solent, fines redactum habes. Etenim non iam ei, ut placet Sylburgio, exspatiari licet in praesens et futurum tempus, non ut videtur Stephano, ex praeteritis temporibus induere etiam potestatem imperfecti, non denique, ut Apollonius censet, indicare simul et modo et pridem perfectum tempus, sed solius pridem perfecti significatio in eum cadere dicitur. Atqui pridem perfectum tempus si intelligamus de actione simpliciter praeterita, modo autem perfectum de ea quae ex praeterito etiam pertinet ad praesens tempus Theodosium videmus omnium primum statuisse, aoristum non minus quam plusquamperfectum esse tempus perfectum omnis cum praesenti communionis expers vereque praeteritum. Quodsi quaerimus, quanam in re indefinita illa vis, qua aoristus dicatur differre a plusquamperfecto, posita sit, significatam quidem eam apud eundem habemus Theodosium docentem non quando f u e r i t aliqua res sed quando e s s e d e s i e r i t aoristo incertum relinqui, plene autem et accurate expositam apud alterum, quem commemoravi grammaticum M. Planudem (Bachm. Anecdd. Gr. vol. II. p. 7.) qui absoluta definitione praesentis, imperfecti et perfecti** *ὑπερσυντελικός*, **inquit,** *ἐστιν ὅταν περὶ χρόνου παρεληλυθότος, τί ἄρτι κατ' ἐκεῖνον ποιῶν ἐπεπαύμην, λέγω· ὡς ὅταν ἐρωτηθεὶς, τί χθὲς ἀνατέλλοντος τοῦ ἡλίου ποιῶν ἐπεπαύμην, εἴπω, ἐγεγράφειν. Ἀόριστος δέ ἐστιν ὁ πάλαι παυσάμενος καὶ μηδένα ὅρον ἔχων ἤτοι δήλωσιν πηνίκα ἐγένετο.* **Finis igitur actionis plusquamperfecto expressae incidere dicitur in aliam actionem praeteritam, qua definiatur et terminetur illa, aoristi autem actio quum careat eiusmodi termino indefinita atque incerta esse.**

---

*) **Possint quidem eodem fere modo iam M o s c h o p u l u s et T h e o d o r u s G a z a videri aoristum definiisse, sed ut supra iam monui brevior est eorum oratio, quam ex qua quid vere de illo iudicaverint, cerni possit. Ille in erotematis** *Τί*, **inquit,** *ἐστι παρακείμενος; ὁ τὴν ἐνέργειαν ἢ τὸ πάθος ἔχων παρακείμενα τῷ ἐνεστῶτι. Τί ἐστιν ὑπερσυντελικός; παρακείμενος πεπληρωμένος. Τί ἐστιν ἀόριστος; ὁ ἐπὶ τοῦ παρεληλυθότος μὲν λεγόμενος καὶ πεπληρωμένην σημασίαν ἔχων, μὴ ἔχων δὲ ὡρισμένον καιρὸν τῆς ἐνεργείας αὐτοῦ ἢ τοῦ πάθους.* **Cf. idem apud Ritschel.** *Παρακείμενος ὁ ἐν αὑτῷ τὸ ἄρτιον ἔχων. Ὑπερσυντελικὸς ὁ ἀπὸ πολλοῦ πληρωθείς. Ἀόριστος ὁ μὴ ἐμφαίνων τὸν ἑαυτοῦ καιρὸν ὡς ὡρισμένον.* **Theodorus autem:** *ὁ δὲ ἀόριστος τὸ παρεληλυθὸς μὲν καὶ τέλειον, οὐχ ὡρισμένον δὲ τὰ περὶ τὴν ἐνέργειαν ἢ τὸ πάθος, ὁ δὲ παρακείμενος τὸ παρεληλυθὸς ἄρτι καὶ τὸ ἐντελὲς τοῦ ἐνεστῶτος, ὁ δὲ ὑπερσυντελικὸς τὸ παρεληλυθὸς πάλαι καὶ ἐντελὲς τοῦ παρακειμένου.*

Haec vero nova aoristi definitio etsi universae temporum rationi manifesto reliquis accommodatior erat, a Graecis tamen, qui sequebantur, grammaticis prorsus neglecta fuit, Latini autem, in quorum perfecto Prisciano teste (ed. Krehl. vol. I. p. 429.) primus docuerat Probus aoristi simul et veri perfecti vim positam esse, non dubitaverunt, quod Theodosius et Planudes docuerant de aoristi et plusquamperfecti discrimine, transferre in perfectum et plusquamperfectum suum, qua in re praeivisse reliquis videtur Cornelius Valerius Ultraiectinus, qui libro primo institutionum grammaticarum (Antverp. 1567.) p. 162. „praeteritum imperfectum, inquit, quo rem coeptam quidem significamus sed nondum fuisse peractam eo tempore, de quo loquimur, praeteritum perfectum, quo res acta et completa notatur, praeteritum plusquamperfectum, quo significamus rem perfectam ante aliam actam, ut: Commodum discesseras heri quum Trebatius venit. Cic. Hoc relativum praeteritum dici possit, quod semper ad aliquod aliud tempus referatur, ut et imperfectum *)." In margine adscriptum praeterea est hoc exemplum: „Veni ad te hora septima: tunc e lecto surgebas et pater domum redierat." Hic igitur primum in relativi temporis nomen, cui postea opponi solebat absolutum tempus **), incidimus, quae quidem notio notionisque appellatio adeo iam in temporum doctrina regnare coepit, ut, quicunque hanc postea explicare aggressi sunt, omnes illius tantum ope id fieri recte posse existimaverint. Etenim post Valerium Marius Corradus (de ling. Lat. ad Marc. fratrem Bonon. 1575.) in eandem sententiam loquutus ita est: „Praeteriti actiones aut imperfectae sunt, ut legebas quum ego veni, aut absolutae, ut legisti oratorem, aut quae absolutae sunt, alias antecesserunt actiones, ut scripseras antequam inaudires. Deinde Franc. Sanctius in Minerva (ed. Periz. p. 95.) „amabam, inquit, et amaveram quis non videt esse imperfecta tempora? Nam si dicas: Cicero scribebat carmina et Cicero scripserat, suspensum habes auditoris animum, donec verbum aliud adiungas, quo sensus absolvatur." Tum Thomas Bangius (Obss. phill. lib. I. p. 471.) exposita significatione imperfecti et perfecti ita pergit: „sunt praeterea nonnulla (h. e. nonnullae res seu actiones) iam quidem absoluta et perfecta, non simpliciter tamen sed respectu praeteriti perfecti aut imperfecti, quae etiam suo tempore indigebant, quod plusquamperfectum seu ulterius perfectum vocatur, ut iam scripseram quum tu scripsisti. Hoc praeteritum ab Ultraiectino dicitur relativum, quod semper ad aliquod aliud tempus referatur ut et imperfectum."

---

*) De imperfecto quoque iam idem docuerat Max. Planudes his verbis: *Παρατατικός ἐστιν, ὅταν περὶ παρεληλυθότος χρόνου, τί κατ᾽ ἐκεῖνον ὡς ἐνεστῶτα ἐποίουν λέγω ὡς ὅταν ἐρωτηθεὶς, τί χθὲς ἀνατέλλοντος τοῦ ἡλίου ἐποίουν, λέγω, ὅτι ἔγραφον.*

**) Temporis absoluti nomen a nullo prius usurpatum invenio quam a Perizonio in Sanctii Minerva p. 91.

Haec tamen relationis notio quam nihil Latinis grammaticis visum fuerit commune habere cum definita indefinitaque significatione temporum intelligi praecipue inde potest, quod Ursinus quoque etsi aoristi vim, ut vidimus, in promiscuo eius usu pro quovis tempore ponit, de reliquis tamen temporibus praeteritis pariter atque Valerius iudicat *). Suo igitur tempore exorsus Reizius novam illam praeteritorum doctrinam temporum, ex cuius linguae finibus profecta erat, ad eam reduxit tandem pleniusque simul et enodatius exposuit. Quam enim vim superiores ex actionis perfectae temporibus uni tribuerant plusquamperfecto, eam perfecto quoque et futuro exacto vindicans haec omnia ille eadem causa qua Valerius ductus appellat tempora relativa iisque ut omnis ad aliud tempus relationis expers opponit tempus perfectum absolutum seu aoristum. Quae quidem sententia quum constantiae quadam laude sese commendet nobis via tamen et ratio, qua Reizius veritatem eius ostendere conatur plus uno nomine reprehendenda est. Etenim postquam temporum tabulam supra (Part. II. p. 2.) commemoratam ex Stoicorum et Varronis mente proposuit ita suam de ea sententiam explicare instituit: „Patet, inquit, hanc rationem esse plenam et absolutam neque praeter haec novem tempora ullum aliud, quod necessarium usum habeat, cogitari posse nisi verbi perfecti praeteritum infinitum.“ At non facile, credo, quisquam intelliget, unde pateat huius rei necessitas. Rationibus igitur aut ex actionis aut ex ipsius temporis natura petitis exspectamus illam demonstratum iri, quam tamen *exspectationem adeo* frustratus est Reizius, ut rationum *loco attulerit* exempla quaedam. Pergit enim disserere hoc modo: „Id enim praeteritum verbi perfecti quod superior illa continet ratio, aeque atque instans et futurum eiusdem verbi finitum est. Sicut enim horum alterum ad id quod nunc agitur, alterum ad id quod in posterum agetur, est referendum, sic etiam illud ad id quod posterius agebatur. Ideo quoties aut praeteritum, aut futurum verbi perfecti adhibetur, indicatur simul res ad quam referri debeant. Homerus Od. XII. 329. *Ἀλλ' ὅτε δὴ νηὸς ἐξέφθιτο ἤϊα πάντα, καὶ δὴ ἄγρην ἐφέπεσκον* etc. Xen. Symp. IV, 7. *Ἐὰν οὖν ἐνέγκῃ τις κρόμυον, αὐτίκα μάλα τοῦτό γε ὠφελημένοι ἔσεσθε· ἥδιον γὰρ πιεῖσθε.*“ Diutius tum, ut par erat, versatur in illustranda natura duorum illorum temporum quorum notio in Latino sermone eadem verbi forma exprimitur, perfecti et aoristi. Et perfecto quidem tempori quum vi-

---

*) Institt. gr. Lat. Vol. I. p. 536., ubi ille postquam imperfecto et plusquamperfecto docuit semper aliud, quo absolvatur oratio, verbum postulari, ita pergit: „Hinc non solum plusquamperfectum ab Ultraiectino, referente Bangio, dici debuit relativum, quod semper ad aliud tempus referatur, quoniam imperfecto hoc cum eo commune est.“ At Valerium quoque de utroque tempore cogitasse et ex adiectis verbis „ut et imperfectum“ et ex apposito exemplo satis aperte intelligi potest.

deret saepe non aliud, quo referendum sit, tempus adiectum esse causam huius rei hinc putat repetendam esse: „Instans, inquit, verbi perfecti, quia refertur ad rem, quae nunc agitur aut agenda est, si non aut hanc narramus, aut alterum ad eam exhortamur, fit ut id tempus nulla adiecta re ad quam pertineat, usurpetur. „Theophrastus Char. IV. *Διηγεῖται δὲ τούτους φάσκων λέγειν, ὡς Πολυσπέρχων καὶ ὁ βασιλεὺς μάχῃ νενίκηκε, καὶ Κάσανδρος ἐζώγρηται.* Hoc eventum refertur ad futuram civitatis mutationem, quam intelligi satis habens famigerator nihil addidit.“ Quorum verborum sententia videtur haec esse, perfecto idcirco non opus esse semper adiici eam rem ad quam referendum sit, quod hoc tempus semper pertineat ad praesentem aliquam rem, praesens autem res per se iam ab omnibus aut oculorum aut mentis acie cerni possit neque singulari igitur sui commemoratione indigeat. Hanc autem non posse veram omissae illius commemorationis causam esse perspicuum iam inde est, quod tum et multae res, quae de praesenti tempore dicuntur, non opus forent dici et multae contra, quae non dicuntur, necessario dicendae essent, ut in ipso illo loco ex Theophrasti characteribus allato, ubi Reizio quidem videtur de futura civitatis mutatione cogitandum esse, neque quidquam tamen obstat, quin de laetitia Polysperchontis propter reportatam victoriam, de fortuna quae maneat Casandrum, de multis aliis rebus cogites, quapropter si perfecta illa *νενίκηκε* et *ἐζώγρηται* ad certam aliquam aliam, quae aut ageretur aut agenda esset, rem referri oporteret, hanc necessario apparet addendam fuisse. Accedit, quod non facile intelligi potest, cur Reizius perfectum tempus ad rem tantum, quae aut agatur aut agenda neque ad eam etiam, quae iam acta sit, referri velit quum saepius tamen constet ex duobus perfectis alterum referendum ad alterum esse, ut Herodot. IV. 118. *Ὁ Πέρσης ἐπειδὴ οἱ τὰ ἐν τῇ ἠπείρῳ τῇ ἑτέρῃ πάντα κατέστραπται, γέφυραν ζεύξας ἐπὶ τῷ αὐχένι τοῦ Βοσπόρου διαβέβηκε ἐς τήνδε τὴν ἤπειρον.* Ut autem falsa, quam Reizius animo conceperat, relationis species in perfecto *), ita veritas eius in aoristo mirum in modum elusit atque fefellit eum. Postquam enim hanc dixit tempus esse praeteritum „quod rem absolutam infinite significet i. e. sine ulla rela-

*) Reizium ipsum sensisse, quam sua de perfecto opinio non confirmetur loquendi usu, manifesto apparet inde, quod in singulis explicandis scriptorum locis operose se versat huc illuc neque facilem tamen et probabilem explicatum invenire potest. Id quod praecipue videre licet in loco excitato e Platone quo Euthyphro inducitur ita loquens: *καὶ ἐμοῦ γάρ τοι, ὅταν τι λέγω ἐν τῇ ἐκκλησίᾳ περὶ τῶν θείων προλέγων αὐτοῖς τὰ μέλλοντα, καταγελῶσιν ὡς μαινομένου· καίτοι οὐδὲν ὅτι οὐκ ἀληθὲς εἴρηκα ὧν προεῖπον· ἀλλ᾽ ὅμως φθονοῦσιν ἡμῖν πᾶσι τοῖς τοιούτοις,* quae verba ille illustrare conatur hoc modo: „Semper verum se dixisse ait Euthyphron, ut ostendat immerito se derideri. Derideri autem se in re praesenti necesse non habens narrare si tantum diceret, *καίτοι οὐδὲν ὅτι οὐκ ἀληθὲς εἴρηκα ὧν προεῖπον,* id quorsum dixisset, intelligeretur.“

relatione ad aliam aliquam insequentem" duplicem eius usum distinguit, unum quo res significata eo usque ad praesens tempus pertineat, alterum quo ab omni illa praesentis societate remota sit et priore quidem modo existimat perfecti loco aoristum usurpandum tum esse, quum nullam aut possimus aut velimus rationem habere eius rei, quae agatur praesenti tempore *). „Itaque, inquit, Imperatoris Titi memorabilem illam meritoque laudatam vocem, Amici diem perdidi, Graece sic apud Themistium (*περὶ τῆς φιληκοΐας τοῦ βασιλέως*) legimus: *Τήμερον οὐκ ἐβασίλευσα· οὐδένα γὰρ εὖ ἐποίησα.* Nam earum rerum, quas Titus vesperi ageret, nihil sane quidquam referebat, periisset dies nec ne." Imo referebat plurimum: iis enim ipsis rebus, quas acturus erat vesperi, resarcire quodam modo poterat damnum acceptum interdiu. „Apud Homerum, ille pergit, Iliad. XI, 362. Diomedes Hectorem, quem ferierat, rursus irruentem conspicatus, *Ἐξ αὖ νῦν ἔφυγες θάνατον, κύον· ἦτέ τοι ἄγχι Ἦλθε κακόν· νῦν αὖτέ σ᾽ ἐρύσσατο Φοῖβος Ἀπόλλων.* Quid enim hostem Diomedes, quem servatum indigne fert, sic alloquatur, ut qui ei salutem gratularetur?" At nonne fugae turpitudine partam salutem exprobrare ei, nonne novum certamen novumque periculum minari poterat? Ergo non posse rem aoristo expressam referri ad aliam rem quae aut agatur nunc aut agenda sit, id nullo modo patet locis a Reizio allatis demonstratum esse.

Additur tertium ab eo exemplum unde intelligi vult, iis, qui aoristo usi sint, etiamsi non potestatem eiusmodi relationis, certe tamen defuisse voluntatem. „Achilles, inquit, de occiso Hectore Paeana canens, ibidem XXII, 393. *Ἠράμεθα μέγα κῦδος ἐπέφνομεν Ἕκτορα δῖον* potuisset dicere, *ἤρμεθα*, nam ob id ipsum, quod hanc tantam gloriam retulit, nunc triumphat: sed quia non erat necessaria triumphi cum victoria comparatio, simpliciter quam relate maluit dicere *ἠράμεθα.*" Audio et causam etiam cur ita maluerit loqui Achilles intelligo **), at non raro tamen ad potestatem referendi accessisse etiam voluntatem quum multis aliis exemplis probari possit, tum hoc quod ex ipsa illa Achillis oratione petitum est: *Ἐπειδὴ τόνδ᾽ ἄνδρα θεοὶ δαμάσασθαι ἔδωκαν, Εἰ δ᾽ ἄγετ᾽ ἀμφὶ πόλιν ξὺν τεύχεσι πειρηθῶμεν* ***). Quod Reizius autem de aoristis ad praesens tempus pertinentibus

---

*) Verba Reizii haec sunt: „Graeci etiam in re, quam ab eo temporis spatio quod nunc instat, non removerunt, si eius respectum ad id quod nunc agitur nullum aut possunt aut volunt exprimere, aoristum usurpant."

**) Nimirum Achillis animus, quae est eius magnitudo atque excelsitas, in eo commoratur lubentius quo victoriam peperit, quam in eo, quo parta iam fruitur, tempore.

***) Cf. Jl. I, 96. *Τοὔνεκ᾽ ἄρ᾽ ἄλγε᾽ ἔδωκεν ἑκηβόλος ἠδ᾽ ἔτι δώσει.* Ib. 207. *Ἦλθον ἐγὼ παύσουσα τὸ σὸν μένος.* Herod. 9, 48. *νῦν ὦν ἐπειδὴ οὐκ ὑμεῖς ἤρξατε τούτου τοῦ λόγου, ἀλλ᾽ ἡμεῖς ἄρχομεν.*

negavit, id constanti fere Graecorum loquendi usu victus de iis, qui rem a praesenti momento seiunctam significant, concessit, at concessit tantum ita, ut rem ita expressam neget ullo cum ea, ad quam referatur, notabili nexu devinctam esse, ut in his qui ab ipso excitati sunt, scriptorum locis: Demosth. de cor. §. 27. *Ἐπειδὴ τοίνυν ἐκ τῆς Εὐβοίας ὁ Φίλιππος ἐξηλάθη — ἕτερον κατὰ τῆς πόλεως ἐπιτειχισμὸν ἐζήτει.* Ib. §. 7. *Τοῦ γὰρ Φωκικοῦ συστάντος πολέμου — ὑμεῖς οὕτως διέκεισθε.* Plut. Cic. (p. 1604. ed. Steph.) *Οὐ γὰρ πρότερον ἀπέλυσαν ἢ ἔλαβον τὸ ἀργύριον.* Qua tamen in re notabilis ille nexus positus sit id, etsi summi ad rem momenti est, frustra quaeris in disputatione Reizii neque post illum, qui huius loci obscuritatem illustraret inventus est quisquam praeter Dissenium. Is autem quum in hac re novo aliquo, quo aoristi doctrina ab Harrisio locupletata erat, invento uteretur, huius nobis, priusquam ad ipsam Dissenii rationem transeamus, necessario est mentio facienda.

Quum enim et Reizius et quicunque ante eum de temporibus disputarant, solius praeteriti docuissent proprium esse aoristi tempus, Harrisius contra probe intelligens, aut rationibus demonstrandum esse, in hoc tantum tempus cadere posse aoristi vim aut vindicandam eam praesenti quoque et futuro esse, quum non posset illud, faciendum statuit posterius. Et in futuro quidem vim indefinitam esse iam et veteres magistri plerique omnes et recentiorum nonnulli docuerant ante eum. Ita Apoll. Dysc. de synt. I. 35. *Ἡ τοῦ μέλλοντος* (intellige *ὁριστικὴ ἔγκλισις*) *ἀοριστωδῶς νοεῖται*, quapropter idem de Coniunct. p. 512. ut praeteritum aoristi accuratius distinguat a futuro *τὸν ἀόριστον*, inquit, *τουτέστι τὸν παρῳχημένον.* Stephanus in Bekk. Anecdd. p. 891. *Ὁ δὲ ἀόριστος κατὰ τὴν ἀοριστίαν τῷ μέλλοντι συγγενής· ὡς γὰρ τοῦ ποιήσω τὸ ποσὸν τοῦ μέλλοντος ἀόριστον, οὕτω τοῦ ἐποίησα τὸ τοῦ παρῳχημένου.* Alius Dionysii Thracis interpres ibidem: *Ὁμοίως καὶ ὁ ἀόριστος τῷ μέλλοντι* (intell. *συγγενής ἐστι*), *κατὰ μὲν φωνήν, ὅτι τοῦ αὐτοῦ συμφώνου χορηγίαν ἔχουσιν· ἐὰν γὰρ ἔχῃ ὁ μέλλων τὸ ψ, καὶ ὁ ἀόριστος· εἰ δὲ ξ, κἀκεῖνος ὁμοίως. πάλιν κατὰ φυσικὸν λόγον, ὅτι ἀμφότεροι ἀόριστοί εἰσι. καὶ γὰρ εἰ εἴποις ἔτυψα, οὐχ ὡρίσω τὸν καιρόν, πλὴν ὅτι πέπραχας· καὶ πάλιν ἐὰν εἴπῃς τύψω, οὐδὲ οὕτως ἐσήμανας τὸν καιρόν, εἰ μὴ ὅτι μόνον τύψεις· τὸ δὲ πότε οὐ δηλοῖς.* Moschopulus (Ritsch. Prolegg. ad Thomam M. p. CXXXII.) *Διατί ὁ ἀόριστος πρὸς μέλλοντα ἔχει συγγένειαν; ἐπειδὴ ἀδήλους ἔχουσι τοὺς χρόνους ἀμφότεροι.* Etym. M. p. 507, 50. *Ὁ μὲν μέλλων ἀόριστός ἐστιν, ὁ δὲ μετ' ὀλίγον μέλλων ὡρισμένος.* Priscianus (Vol. I. p. 389.) „Futurum quoque quum incertum sit et infinitum, utrum paullo post an multo erit, non potuit discretis quibusdam finibus declinationis uti.“ Urbanus (Institt. ling. Gr. p. 244.) „*Ἀόριστος* autem habet cognationem cum futuro, quoniam utrumque significat infinitum sive indeterminatum et incertum.“ Girardus (Hebdom. Gr. ed. Paris. 1547. p. 37.) „Futurum eodem modo (quo aoristus) i. e.

sub ancipiti et incerto tempore rem significat futuram.“ Ut autem non futuri, ita ne praesentis quidem indefinitus usus omnino fugerat grammaticos. **Ammonius** certe in interpretatione Aristotelei libelli *περὶ ἑρμηνείας* extrema primi capitis verba quibus docetur, duplici modo *ἁπλῶς ἢ κατὰ χρόνον* verbi ope aliquid de subiecto enunciari posse, ita explicat: *λέγω, ὅτι τὸ μὲν ἁπλῶς σημαίνοι ἂν τὸ μὲν ἀορίστως ἁπλῶς οὕτως εἰπεῖν· τραγέλαφος* (qua voce Aristoteles exempli instar usus erat), *ἦν ἢ τραγέλαφός ἐστιν ἢ τραγέλαφος ἔσται, τὸ δὲ κατὰ χρόνον μετὰ προσθήκης τοῦ χρόνου καθ᾿ ὃν ἦν ἢ ἔσται, οἷον τραγέλαφος ἦν χθὲς ἢ πέρυσιν, ἢ ἔσται αὔριον ἢ εἰς τὸ ἑξῆς ἔτος.* Ex recentioribus **Bangius** in Observv. p. 471. „Notandum autem, inquit, de praesenti tempore, quod tempus praesens non solum accommodetur *τῷ νῦν* h. e. ad instans nunc, uti putatur, sed ad quamcunque rei de qua agitur praesentiam. Unde dicimus.... Aliud tempus alios mores postulat. Quondam etiam victis redit in praecordia virtus.“ Accuratius post eum **Ursinus** (Institt. ling. Lat. vol. I. p. 534.): „Praesens hic non praecise et rigide sensu *Philosophico* de unico momento et puncto temporis sed cum ampliatione quadam et mora usu vulgari saepius capiendum. Fit ergo, ut non raro tempus praeteritum et futurum comprehendat, vel cum continuatione quadam, ut in illo Ciceronis ad Atticum: cupio et iam pridem cupio Alexandriam visere ... vel cum *iteratione* quadam actus, identidem et per intervalla ex consuetudine quadam repetiti, ut in illo Terent. Adelph. „mihi quidem non placent et clamo saepe....“ Idem in *γνώμαις*, quae quid ex more fiat aut ex usu vitae sit, *ἀορίστως* et **indefinite** notant, observare licet.“

Quum a singulis igitur singulorum temporum vis indefinita iam ante Harrisium animadversa esset, ab hoc tamen primo de universa re via et ordine disputatum totaque temporum divisio, inde ab invento aoristo manca et perturbata, tandem expleta rursus certamque ad rationem revocata est. Etenim tempora verbi ait aut definite usurpari aut indefinite. Definito usui tribuuntur novem illa, quorum mentio a nobis facta iam supra est (part. II. p. 1. et 2.), *indefinito autem* haec tria: Aoristus praesentis temporis. *Γράφω.* Scribo. I write. Aoristus praeteriti temporis. *Ἔγραψα.* Scripsi. I wrote. Aoristus futuri temporis. *Γράψω.* Scribam. I shall write. Ergo quum reliqui grammatici Stoicorum auctoritatem sequuti in capite divisionis posuissent actionis infectae et perfectae discrimen, ex ternis autem, quae singulis hic actionis generibus accidere possunt, temporibus aut praeterita tantum, ut Valerius, Sanctius, Bangius, Ursinus, aut perfecta, ut Reizius, in relativa rursus et absoluta divisissent, Harrisium contra ab hac ipsa relationis notione videmus profectum esse duobusque temporum generibus, relativis et absolutis seu definitis et indefinitis, constitutis singula relativorum tempora ostendisse rursus oportere tripartita, absoluta autem simplicia esse. Cuius divisionis vis quo melius intelligatur adiecta ab Harrisio haec sunt: „Quod attinet aoristos, hi a gramma-

ticis plerumque praeteritis temporibus annumerari solent, ut ἦλθον ἔπεσον. Raro aoristi commemorantur futuri, rarius etiam praesentis temporis. Atqui rationi videtur consentaneum esse, ut, quacunque temporis forma simpliciter et sine ulla definitione aut praesens aliqua res aut praeterita aut futura designatur, ea appelletur aoristi nomine. Ita Milto in paradiso amisso

Millionen geistiger Geschöpfe besuchen (walk) die Erde,
Ohne dass wir sie sehen, sowohl wenn wir wachen als schlafen.

Verbo walk non indicatur, eos illo tantum momento, quo Adamus loquutus sit, sed ἀοϱίστως indefinite quocunque vis temporis momento. Quod idem valet de omnibus sententiis communibus, ut Ad poenitendum properat cito qui iudicat. Avarus nisi quum moritur nil recte facit. Omnia haec tempora patet aoristos praesentis temporis esse. Possunt autem posterioris generis sententiae futuri quoque aoristis efferri, ut Tu nihil admittes in te formidine poenae. Hor. Neque aliter in legum formulis *Thou shalt not* . . . quae interdicta non ad certam aliquam sed indefinite ad quamlibet partem futuri temporis pertinent."

Haec igitur aoristi per tria tempora partitio quum ab omnibus fere, qui hunc locum tractaverunt post Harrisium, tum a Dissenio, ad quem nunc revertitur disputatio nostra, retenta est. Docet autem hic, notabilem illum, quem Reizius commemoraverat, temporum relativorum nexum cerni in ea re, ut res illis *temporibus indicatae* uno eodemque momento fieri cogitandae sint, nam ita demum vere et eas ipsas inter sese relatas esse et tempora, quibus indicetur haec relatio, relativa appellari posse *). Et universae quidem relationis hanc unice veram definitionem esse, ex ipsius relationis notione ostendere sibi ille videtur ita posse. „Quum nemo, inquit (p. 8.), non concedat relativum esse, quod non possit locum habere sine alio quodam simul cogitando, quis temporum relationem etiam ad id vere pertinere censeat, quod *non sit una*, quod vel praecedat vel sequatur? Quod enim poni *nequit sine* aliqua re, cohaeret cum ea; quaenam vero est haec cohaerentia, si fieri posse statuis, ut non sit commune unum temporis momentum ambobus?" At ut exemplo hanc argumentationem redarguam. Dormire et vigilare constat notiones relativas esse. Quis autem dicet, dormire aliquem neque ante neque post vigilias posse sed simul necessario dormiendum et vigilandum esse? Scilicet lapsus Dissenius in eo est, quod rem existimavit una cum alia re cogitari non posse nisi ita ut una etiam cum ea aut esse revera aut fieri cogitetur. Et-

*) De tempp. et modd. p. 6. quum ea vera relatio sit, si quid recte cogitari non possit, nisi cum alio quodam cogitatum, cum quo, si fiat, uno fiat eodemque tempore, quid dubitamus . . . . p. 9. „Relativa tempora res non diverso sed eodem cum aliis momento collocant, quia alioquin nullus esset relationis nexus."

enim mente quidem nos eodem tempore, quo ex duabus notionibus relativis accidere dicimus unam, complecti et fingere necesse est etiam alteram, fieri autem hanc revera aut esse simulac fit aut est illa, id adeo non ex relationis quidem notione consequens est, ut facilius etiam quis statuere contra possit *).

Iam vero ut ab universo relationis genere transeamus ad relationem temporum, hanc quidem ex ipsa origine temporum demonstrare conatur Dissenius talem esse, qualis ab ipso definita sit antea. Etenim „quodcunque fit, inquit, aut praesenti aut praeterito aut futuro tempore fieri debere constat, unde tria diversa temporum genera in linguis requiruntur. Iam si indicare velimus aliquid v. c. tempore praeterito gestum, cum hocce temporis spatium ex ingenti momentorum numero constet, duplicem sequi licebit rationem. Possumus simpliciter dicere rem tempore praeterito factam, ita ut momentum, quo facta sit, accuratius non definiamus; atque hanc quidem in rem utemur a o r i s t i s. Sic in hoc: D e u s c r e a v i t m u n d u m, quis momentum sibi illud indicari putet, quo res sit gesta? Pronunciatum scilicet erat indefinite, factum hoc esse tempore praeterito. Sed non ubique hoc permissum; occurrunt non raro, quae quando facta sint, definitius debeas significare. Atqui vix hoc fieri poterit, nisi aliam quandam rem circumspicias eodem momento factam eamque satis notam, quippe quod hac sola ratione illud momentum, de quo loquaris et quo gesta sit res illa altera, accurate indicare possis. Opus est igitur aliis praeterea temporum formis, quae quidquid ponant, respectu ad alia ponant, et indefinitis accuratius definiendis inserviant. Atque haec quidem sunt r e l a t i v a. Exemplum habes in hoc. G r a e c i a f l o r u i t, c u m l i b e r a e s s e t. Ubi imperfecto, quod relativum est, definitur aoristus.“ In his autem verbis si, quot insint enunciata, tot inesse fere contendam errata, non verendum mihi videtur, ne iniquius cuiquam iudicasse existimer. Primum enim quod Dissenius certum et perspicuum voluit aoristi exemplum esse, id sive ipsum spectas sive verba explicandi causa adiecta eodem iure potes pro perfecto i. e. pro relativo tempore accipere. Qui enim dicit *θεὸς πεποίηκε τὸν κόσμον* eum non magis quam qui dicit *θεὸς ἐποίησε τὸν κόσμον* indicare momentum, quo mundus a deo creatus sit, id omnibus, credo, ex iis, quae disputata a nobis sunt antea, manifestum erit. Deinde intelligi non potest, cur tempus rei aoristo prolatae non possit nisi narranda re alia accuratius definiri, quum et adverbia et omnes quae adverbiorum vim habent loquutiones huic consilio videantur satisfacere posse. Tum si vel maxime definiendi temporis causa narrare volumus aliam rem, curnam quaeso ad designandam eam plane novum ali-

---

*) Aristot. Categ. c. 5. *οὐ πᾶσι δὲ τοῖς πρός τι ὑπάρχει ἐναντιότης·* ergo maiori tamen eorum parti.

quod inveniendum est temporum genus? Nempe, ut accuratius definiatur indefinitum tempus, res „et eodem tempore facta et satis nota“ narretur necesse est, eiusmodi autem rei significatio cum non cadat in naturam illius temporis necessario inveniendum erat aliud. At neutrum Dissenio concedere possum. Ut enim a posteriore sententia refellenda exordiar, rem notam indicare, si spectas necessitatem, in nullum, si potestatem, in omne tempus cadit. An persuadere tibi potes, verba exempli causa a Dissenio allata: „Graecia floruit (ἤκμασε) quum libera esset,“ si libertatis tempus audienti ignotum est, non intelligi posse, haec contra: „Graecia floruit postquam liberata est (ἠλευθερώθη) si, quando illa liberata fuerit, cognitum est, incommode atque inepte dici? Imo vero hoc ipsum putare sentis ineptum fore. Neque magis assentiri Dissenio possum contendenti, rem eodem tempore factam non posse indefinito tempore exprimi. Ut enim nunc quidem re defungar exemplis Cic. N. D. III. 28. „Nec enim Herculi, inquit, Deianira nocere voluit, quum ei tunicam sanguine Centauri tinctam dedit nec prodesse Pheraeo Iasoni is, qui gladio vomicam eius aperuit, quam sanare medici non potuerant.“ Hom. Jl. φ. 441., ubi Neptunus ita compellat Apollinem: *Νηπύτι', ὡς ἄνοον κραδίην ἔχες· οὐδέ νυ τῶνπερ Μέμνηαι, ὅσα δὴ πάθομεν κακὰ Ἴλιον ἀμφὶ Μοῦνοι νῶι θεῶν, ὅτ' ἀγήνορι Λαομέδοντι Πὰρ Διὸς ἐλθόντες θητεύσαμεν εἰς ἐνιαυτόν.* Patet igitur, ad rem notam eodemque tempore factam indicandam non futurum opus fuisse praeter aoristum inducere relativum tempus.

Iam vero, ut veniamus ad illud, quod priore loco sumptum a Dissenio est, quaeri profecto potest, curnam omnino, temporis accuratius definiendi causa, rei notae eodemque tempore factae significatio tam necessaria visa sit Dissenio? Duo videlicet temporis definiendi genera ab eo confusa sunt, quorum in altero de tempore ipso, quo res aliqua facta est, in altero de ratione, quae inter duarum rerum tempora intercedit, quaeritur. De priore sine dubio cogitavit Dissenius, quum tamen verbi temporibus proprium constet et peculiare esse posterius. In hoc autem quum id unum pateat agi posse, ut apertum fiat, utrum altera res praecedat alteri, an una cum ea sit an denique succedat, primum est evidens, res hoc modo inter sese comparatas non semper posse eodem tempore factas esse, deinde ad huius comparationis intelligentiam ne minimum quidem notaene res illae sint necne referre posse. Ita quum Caesar B. G. I. 4. „ea res, inquit, ut est Helvetiis per indicium enunciata, moribus suis Orgetorigem ex vinculis causam dicere coegerunt,“ quis, quaeso, etsi duarum rerum, quae hic narrantur, alterum tempus accuratius definitur altero, quis, inquam, idcirco alteram earum rerum necessario dicet oportere notam eodemque tempore, quo altera, factam esse?

Quum his autem iam satis Dissenii argumentatio videri possit refutata esse, tum accedit etiam, ut sua ipsius se confessione iugulaverit. Post verba enim, quae

excitavimus antea (p. 76. et 77.) non dubitat ille pergere ita: „Neque tamen solum aoristi sed etiam relativa tempora relativis illustrantur. Caes. de b. civ.: Hinc quum se recipere vellent, rursus illi ex loco superiore nostros premebant.“ Quid autem hoc aliud est nisi fateri, discrimen ab ipso inter aoristum et relativa tempora positum falsum et commenticium esse? id quod magis etiam intellecturus fuisset, si non relativis solum sed aoristis etiam illustrari relativa *) recordatus fuisset. Omnino enim adeo non videtur relativorum esse, illustrare alia, ut ipsa potius semper videantur illustranda aliunde esse. Quod enim alio semper referendum est, id, nisi aut mente aut verbis hoc alio addito, non potest intelligi. Quod autem alio demum addito intelligi potest, id hoc alio illustrari apertum est. Aoristum contra quum, ut ipse Dissenius ait, per se constare possit non necessario apparet egere illustratione illa. Quae quum ita sint statuere profecto licet, a Dissenio ut antea non ex ipsius relationis vi et potestate, ita nunc ne ex temporum quidem origine recte se relationem temporum definiisse demonstratum esse.

Reliquum est, ut videamus, quomodo singulis verbi temporibus ista relationis notio a Dissenio vindicata sit. Postquam illo praeeunte Harrisio **) novem enumeravit, quae relativum usum admittant tempora, primum tria relativa praesentia (*τύπτω*, *τύψω*, *τέτυφα*) ita ad suam relationis notionem revocare conatur. „Ex iis, inquit, quae supra de tempore disputata sunt, eas res patet esse praesentes, quae una exstent cum cogitatione nostra. Quare quum ea vera relatio sit, si quid recte cogitari non possit, nisi cum alio quodam cogitatum, cum quo, si fiat, una fiat eodemque tempore, quid dubitamus, tria ista tempora relativa esse, quae, quod ponunt, in eo ipso tempore ponunt quo cogitamus, et, quae si contenderes sine istius momenti cogitatione recte posse intelligi, vi sua privares, aoristosque faceres? Sic v. c. illud: d i c u n t, f e r u n t, quando non intelligitur de eo momento, quo loquimur et cogitamus, de aliqua quacunque praesentis temporis parte accipiendum h. e. pro aoristo habendum.“ Ne tamen desideret quis in his relativis eam rem, ad quam pertineant ea, adiiciuntur a Dissenio haecce: „cogitatio dum

---

*) Cf. Hom. Jl. ε, 571. *Αἰνείας δ' οὐ μεῖνε, θοός περ ἐὼν πολεμιστής, Ὡς εἶδεν δύο φῶτε παρ' ἀλλήλοισι μένοντε.*

**) Dissenius etsi haud pauca ex uberrimis Harrisii fontibus deduxit in rivulos suos, silentio tamen premit nomen eius et quasi ipse sit auctor huius divisionis temporum „causam, inquit, intelliges, quare hanc temporum relativorum partitionem fecerim:

praesens		praeteritum		futurum	
pr. impf.	*παύομαι*	praet. impf.	*ἐπαυόμην*	fut. impf.	*παύσομαι*
pr. pf.	*πέπαυμαι*	praet. perf.	*ἐπεπαύμην*	fut. pf.	*πεπαυμένος ἔσομαι*
pr. f.	*μέλλω παύεσθαι*	praet. f.	*ἔμελλον παύεσθαι*	fut. f.	*παυσόμενος ἔσομαι*“

in aliis occupatur, sui immemor, fieri non potest ut animadvertat praesentium ad se ipsam relationem; quo fit, ut haec per se constare visa, definite ponantur. At praeterita et futura non referuntur ad cogitationem nostram, tamquam cum qua una et simul sint, sed ad res praeteritas et futuras simul factas, simul faciendas; quare, quum relatio hic sit inter res cogitationi obiectas, scientiam nostram fugere nequit.“ Ut autem mittam haec postrema verba, quae tam obscura profecto et recondita sunt, ut argumentatio antecedens suae ipsius quasi imbecillitatis sensu perterrita in horum dumetorum latebras videatur confugere voluisse, ut haec igitur mittam et tempora illa concedam idcirco, quia in idem, quo cogitemus, tempus cadant, posse relativa appellari, vide tamen, quantopere vir doctus in priore illa ratione concludenda a vera intelligendi disserendique arte descierit. Sumit ille, relationem positam in eo esse, ut res aliqua recte non possit nisi una cum alia cogitari. Assumit praesentes appellari eas res, quae una exstent cum cogitatione nostra. Inde autem vult effici, tempora praesentia, prout res iis elatae aut una cum cogitatione nostra aut secus cogitentur, aut instructa aut destituta esse relationis vi. Quasi vero, si constat, res praesentes exstare una cum cogitatione nostra, pendere tamen ex libidine loquentium possit utrum velint eas ita exstantes cogitare necne. Imo si vel maxime quid ex iis, quae a Dissenio sumpta sunt, effici velis, nihil aliud profecto hoc esse potest, nisi praesentia tempora ad unum omnia numeranda *in relativis esse*. *Non mirum* igitur videri potest, doctrinam tam repugnantem intelligendi veritati, pugnare etiam cum loquendi usu. Quum enim discrimen inter relativum praesens et praesentem aoristum in eo videamus a Dissenio positum esse, ut res relative elata eo ipso, quo loquatur quis, res autem indefinite expressa quocunque alio praesentis temporis momento evenire cogitetur, si ex hoc discrimine tribuere aggredimur ea, quae re vera usurpari possunt, praesentia, dubii saepe haerebimus, utri generi annumeranda sint singula. Occupatus ego sum in *scribenda epistola*. Intrat amicus, quo conspecto scribere desino. Quidnam agis? ille interrogat. Scribo epistolam, respondeo. Iam utrum tempus sit s c r i b o illud quaeritur. Num relativum? At illo ipso, quo loquutus sum, temporis momento, non scripsi amplius. An aoristus? At s c r i b o illud manifesto non de aliqua quacunque sed de certa quadam temporis parte accipiendum est. Neutri igitur annumerari potest. Utrique contra in his Ciceronis (pro Cluentio c. 18.) verbis „quotiescunque dico toties mihi videor in iudicium venire.“ Hoc enim quum Cicero sibi et illo ipso, quo dicat, et quovis alio, quo aut dixerit aut dicturus sit, tempore, videri significet, d i c o illud apparet pro aoristo simul et pro relativo habendum esse. Ergo ab ipsa lingua vides repudiari discrimen illud; repudiatur autem, quia ab ipsa praesentis natura abhorret adeo et alienum est, ut, qui illud statuit, ei necessario etiam praesens tempus non esse praesens confitendum sit, id

quod

quod ipse Dissenius intelligenti quidem satis aperte confessus est. Distinguuntur enim ab eo praesentia relativa et praesentes aoristi. At praesentes res dicit exstare una cum cogitatione nostra, aoristos non exstare. Sequitur praesentes aoristos revera non esse praesentes. Quod si quaerimus, qui factum sit, ut in tot tantasque salebras inciderit haec Dissenii disputatio, causa videtur repetenda inde esse, quia recte quidem ille praesentem rem contendit eam esse, quae una exstet cum cogitatione nostra, quid autem sit illud, quod una exstans cum ea in praesentibus temporibus cogitandum sit, haudquaquam recte perspectum habuit. Etenim cogitasse eum patet in infectae actionis praesentibus (ferunt, tradunt) de actione, in perfectae autem et inchoandae actionis praesentibus (*πόλις ἔκτισται*, amaturus sum) de ipsius temporis conditione, quum in omnibus potius cogitare deberet de conditione. Id autem quum uberius explicandi copia futura sit postea, nunc satis habemus ostendisse, discrimen a Dissenio inter relativa et absoluta tempora positum praesentibus quidem temporibus non convenire.

Progrediens autem ille ad praeterita „imperfectum," inquit, „praeteriti significat, ut constat, rem aliquam imperfectam certo aliquo temporis praeteriti momento durantem; plusquamperfectum ponit eam eodem momento exstantem ut peractam; futurum praeteriti ut mente agitatam et quam quis paratus fuerit aggredi. Sunt et haec relativa et, quod est relationis, pertinent ad aliud quidquam, cum quo una et simul sint. Quare, *ut exemplum afferam, si quis* dicit: cum sol oriretur, ortus esset, *oriturus* esset, ambulavi, hoc ita capiendum est: tempore ambulationis sol oriebatur, ortus stabat, in eo erat ut oriretur. Ex quo vides, quod velim notari, haec tria, nullo excepto, una esse cum eo, quo referantur." At ex hoc quidem exemplo tantum abest, ut tale quid i. e. trium illorum temporum vis relativa videri possit, ut aoristo contra relationis vis inde vindicari queat. Quum enim qui dicit: „quum sol oriretur, ortus esset, oriturus esset, ambulavi" ambulationem velit intelligi rem primariam, solis autem ortum secundariam, verba illa manifesto non eo, quo Dissenio placet, sed hoc potius modo accipienda sunt: „tempore solis orientis, orti, orituri ambulavi," quo facto aoristum ambulavi patet ad aliud, quocum una cogitandus sit, tempus relatum esse. Neque ad relativa tantum tempora sed ad aoristos etiam eadem ratione referri aoristus potest, id quod exemplorum auctoritate comprobatum ivimus antea. Quae autem praeteritorum et praesentium, eadem, ut Dissenius ait (p. 9.), est etiam futurorum temporum ratio. Quapropter si vere relativorum et aoristorum discrimen est positum in eo, ut illa cogitanda sint una cum alia re, haec cogitari ita nequeant, Graecam quidem et Latinam linguam confitendum erit carere aoristis.

Quum igitur vim et potestatem aoristi neque ab iis grammaticis, qui aoristo ipso, neque ab iis, qui relatione eius ad aliud tempus certum aliquod tempus

significari negabant, satis probabiliter videamus explicatam fuisse, hanc unam patet iis, qui eodem modo de hoc loco disputare pergebant, viam reliquam fuisse, ut coniuncta ratione utraque aoristum neque per se neque aliorum, ad quae referretur, temporum ope certum aliquod tempus significari contenderent. Et hanc quidem viam ante octo iam annos, quam Reizianam doctrinam illustraverat absolveratque Dissenius, Godofredus Hermannus ingressus et nova, simul absolutorum relativorumque temporum notione constituta novam inde omnium temporum rationem deducere conatus erat. Quae quidem ratio quo plures et admiratores et imitatores sui adepta est eo accuratius iam nobis examinanda erit.

Distinguit Hermannus eam, quam proprie appellant, relationem, cuius ope ex altero tempore suspensum est alterum, ab universa relatione seu, ut ipse ait, „ratione comparationeque“ omnium temporum, quae quidem posterior tam propria ei videtur tamque necessaria esse ipsius verbi naturae, ut illius demum ope hanc recte intelligi indicarique posse existimet, id quod hac ille ratione evincere studuit. „Quum, inquit, verbi natura inprimis in eo posita sit, ut relatio, quae est inter subiectum et praedicatum, indicetur, id ea re fieri necesse est, in qua maxime posita est relatio. Atque quum verbum esse caeterorum verborum omnium, ut supra docuimus, fundamentum sit, fieri non potest, quin, quae in eo relatio occurrit, eius longe alia ratio sit, quam illius, quae est in nominibus et particulis. *Nomina enim et particulae* quum subiecti praedicatique signa sint, si quae in iis relationis notae sunt, eae hanc vim habent, ut rem substantiam vel accidens, caussam vel effectum, partes consociatas vel disiunctas esse significent. In hoc autem verbo esse, quod solius copulae signum est, nec per se quidem ullam aut subiecti aut praedicati cuiuspiam notionem complectitur, relatio sic tantum potest cogitari, ut ad solum esse, non ad ea, quae sunt, spectet. Atqui hoc esse nullas habet, nisi temporis notas, quia, quidquid est, aliquo tempore esse cogitatur. Quamobrem omnis verbi relatio ad temporum inter se rationem comparationemque pertineat necesse est.“ Quae quidem verba si ad iustam ratiocinandi formam revocarimus, haec inde rationis conclusio evasura est: Quaecunque relatio est inter duas res, ea indicari non potest nisi ea re, in qua ipsa posita est aliqua relatio. Atqui in verbo esse, quo in omnibus verbis relatio ea, quae est inter subiectum et praedicatum, indicatur, nulla alia nisi temporum relatio inest. Ergo relatio, quae inter subiectum et praedicatum est, temporum tantum relatione indicari potest. At haec argumentatio haud exiguis est praedita vitiis. Quod enim sumpsit Hermannus, relationem non posse nisi ea re, in qua ipsa sit posita relatio quaedam, indicari, quem quaeso id sibi putat concessurum esse? Ut enim omnes rerum notiones a lingua non aliis notionibus sed signis tantum earum indicari constat, ita relationis quoque notio non alia relatione sed signo tantum eius debebit exprimi.

Quum autem plura sint relationis genera, vim et naturam singulorum non ex natura signorum sed hanc potius ex illa suspensam esse manifestum est. Ergo qualis inter subiectum et praedicatum, non qualis in verbo esse relatio esset, quaerendum Hermanno erat. Ipsam autem illam temporum relationem, qua verbum esse opinatur instructum esse, undenam hausit eam? Scilicet inde, quia, quidquid sit, id aliquo tempore esse cogitandum sit. At hinc profecto nil sequitur nisi id quod iam dudum docuerat Plato et Aristoteles, universam notionem temporis, non vero quod Hermannus inde vult effici, relationem temporum in verbi esse naturam cadere *).

Missis igitur his, quibus frustra spes excitata erat, ratione et arte aliquando relationis vim explicatum iri, videamus iam num reliqua fortasse disputationis parte aliqua lux huic doctrinae accensa sit. Progrediens ille ad ipsam temporum divisionem triplicem statuit uniuscuiusque i. e. et praeteriti et praesentis et futuri temporis relationem esse, aut enim, ait, tempus per se constans et definitum esse, aut ex alio tempore pendens, aut neque per se definitum neque ex alio tempore pendens **). Inelegans profecto dividendi ratio iamque dudum illa notata graviterque reprehensa a Tullio. Etenim est ea simillima eius, qua in cupiditatibus dispertiendis usus *olim* Epicurus est. Ut enim is tria haec genera cupiditatum posuit: naturales et necessarias, naturales et non necessarias, nec necessarias nec naturales, ita Hermannum quoque, si accuratius eius *verba consideraveris, haec tria* reperies posuisse temporum genera, unum definitum per se, alterum definitum aliorum ope, tertium neque per se definitum neque aliorum ope. „At, ut in meum usum vertam Ciceronis verba ***), hoc non est dividere sed frangere. Qui si di-

---

*) Ne tamen quis existimare possit, illam fortasse, quae inter tria primaria tempora quodammodo statui potest, relationem, ab Hermanno significatam esse, ipse paullo infra diligenter cavit his verbis: „Ante omnia igitur hoc est observandum tria omnino *esse tempora, praeteritum, praesens*, futurum, sed ex hac differentia nullam peti posse relationis temporum divisionem."

**) In tertio hoc definiendo temporum genere aperte secum ipse pugnat Hermannus. Quum enim id p. 186. ita definierit ut nos supra diximus, p. 181. contra tertium illud genus ait et per se certum ac definitum esse et simul consequutionem complecti aliorum temporum. Quum autem prior illa definitio sola manifesto toti eius singulorum temporum explicationi accommodata sit, non videtur dubium esse, quin ei, quum p. 181. quoque ponere definitionem illam vellet, imprudenti exciderit altera. Neque aliter video eos iudicasse, a quibus comprobata et repetita est Hermanni ratio. Ita in magna artium litterarumque Encyclopaedia, quae Erschii et Gruberi auspiciis coepta est Lipsiae edi (Vol. IV. s. v. Aoristus) G. W. Müllerus tria ait esse temporum genera: I. die Art derjenigen Zeit, welche unabhängig von einer anderen Zeit und für sich bestehend gedacht wird; II. die Art derjenigen Zeit, die in Bezug auf eine andere Zeit oder von einer anderen Zeit abhängig gedacht wird; III. die Art der weder von anderer Zeit abhängigen noch für sich hinlänglich bestimmten Zeit.

***) de Finibus II, 9.

ceret, temporum esse duo genera, definita et indefinita, definitorum quoque item duo, definita per se et definita aliórum ope, confecta res esset. Vitiosum est enim in dividendo, partem in genere numerare." Dempto autem hoc vitio in universa quidem temporum divisione Hermanno videmus convenire cum Harrisio, in universa relationis definitione cum reliquis, discrepare autem ab utrisque in hac re, quod definitorum temporum statuit rursus duo genera, quorum unum tantum relationis vi, alterum per se ipsum definitum sit *).

In huius igitur distinctionis veritatem ante omnia nobis inquirendum est. Hermannus ipse de ea ita loquutus est: „Primum igitur genus relationis, quod in temporibus cernitur, in eo positum est, ut aliquod tempus certum sit et definitum, id est, ut a continua temporum perpetuitate seiungatur certoque in loco constituatur ac per se constet. Id hisce formis exprimitur, praeterito perfecto, praesenti, futuro, ut *γέγραφα*, *γράφω*, *γράψω* **), scripsi, scribo, scripturus sum. His enim verbi formis tempus certum definitumque notatur, ut non sit alius temporis commemoratione opus, unde, quando quid factum sit, fiat, futurum sit, cognoscatur. Secundum genus temporum relationis illud est, quo tempus aliquod ex alio tempore pendere indicatur, ita ut in isto alio tempore caussa posita sit, qua ei tempori, quod ex hoc pendet, locus suus destinetur. At quum omne tempus aut praeteritum sit, aut praesens, aut futurum, alia tempora e praeterito, alia e praesenti, alia e futuro pendeant necesse est."

Tria igitur illa, quae priore loco nominata sunt tempora Hermannus vult quasi fundamentum esse, cui reliqua praeter aoristum nitantur ita, ut, quum per se vaga et instabilia sint, eorum ope fixum aliquem et certum locum obtineant. Quaeritur ergo primum, qua in re haec trium illorum temporum stabilitas posita sit. Nempe ad praesens momentum omnia pertinent, hoc autem ex tota temporis perpetuitate solum constat per se certum et definitum esse loquentibus. Iam autem continuo haec altera oritur quaestio, num haec praesentis, quae in tribus illis tem-

---

*) Prima bipartitae huius divisionis initia apud Maximum Planudem habes, qui quae fusius exposuit de temporibus antea, breviter deinde complectitur his verbis: *Ὁ μὲν γὰρ ἐνεστὼς ὅρον ἔχει τὸ νῦν* (definitum per se) *ὁ δὲ παρατατικὸς τὸ ἀνατέλλοντος τυχὸν τοῦ ἡλίου* (solis enim ortu antea usus erat exemplo actionis, in cuius tempus incidere posset tempus actionis imperfectae, ergo definitum alio tempore) *ὁ παρακείμενος δὲ τὸ ἄρτι* (definitum per se) *ὁ δὲ ὑπερσυντελικὸς καὶ αὐτὸς τὸ ἀνατέλλοντος τοῦ ἡλίου* (definitum alio tempore) *ὁ δ' ἀόριστος οὔτε τούτων οὐδὲν, οὔτε ἄλλο τι.*

**) Pro hac futuri forma Hermannum, si scribere voluisset accuratius, uti debuisse forma *μέλλω γράφειν* et Dissenius iam monuit in disputatione de tempp. et modis et praeter adiectam interpretationem Latinam „scripturus sum" satis ostendunt ea, quae de utriusque formae discrimine disputata ab eo sunt postea p. 196 sq.

poribus inest, significatio, habeat eam vim, ut, quando id, quod illis exprimitur, fiat, factum, futurum sit, nulla etiam alius temporis commemoratione adiecta, cognosci possit. De praesenti quidem id facile concedi potest, nullo modo autem de duobus reliquis. In his enim, ut pluribus demonstravimus antea (Part. I. p. 28. et II. p. 3. et 4.) distinguenda sunt bina tempora, quorum sua utrique vis et potestas est. Alterum enim continet actionem aut iam praeteritam aut futuram, alterum conditionem in utroque praesentem. Conditionis tempus est certum, incertum contra actionis. Illius igitur tempus non potest non per se iam satis apertum esse, hanc autem, ut quando quid factum futurumve sit intelligatur, non patet carere posse significatione aliqua temporis aliunde petita. Ut rem illustrem exemplis: si Lycaon apud Homerum (Jl. φ. 81.) et Helena apud eundem (Jl. ω. 765.) simpliciter dicerent ille *ἐς Ἴλιον εἰλήλουθα*, haec *ἐμῆς ἀπελήλυθα πάτρης*, nulla alia profecto certi alicuius temporis notitia inde peti posset, nisi eo ipso, quo loquentes illi inducti sunt, momento alterum iam rursus fuisse in patria, alteram etiam tum abfuisse. Quum autem alius etiam temporis commemoratio ab iis facta sit, Troyam cognoscimus revertisse illum ante dies duodecim (.. *ἠὼς δέ μοί ἐστιν Ἥδε δυωδεκάτη, ὅτ' ἐς Ἴλιον εἰλήλουθα*), Graeciam ab hac relictam esse iam annum vicesimum (*Ἤδη γάρ νῦν μοι τόδ' ἐεικοστὸν ἔτος ἐστίν, Ἐξ οὗ κεῖθεν ἔβην καὶ ἐμῆς ἀπελήλυθα πάτρης*.). Eodem modo si Herodotus lib. III. cap. 63. praeconem in Aegypto ex Perside reversum nil fecisset loquentem nisi haecce: *ἐγὼ Σμέρδιν τὸν Κύρου οὔκω ὄπωπα*, non possemus non putare, nunquam ad id tempus in conspectum eius venisse Smerdem illum, ex interiectis autem verbis *ἐξ ὅτου βασιλεὺς Καμβύσης ἤλασε ἐς Αἴγυπτον* certum aliquod temporis punctum, ex quo id non factum sit, noscimus. Adde locos, quibus quum desit talis temporis commemoratio prorsus incertum manet quando quid factum sit. Jl. ε. 204. *πεζὸς ἐς Ἴλιον εἰλήλουθα.* ο. 189. ubi Neptunus: *Τρεῖς γάρ τ' ἐκ Κρόνου εἰμὲν ἀδελφεοί, οὓς τέκετο Ῥέα, Ζεὺς καὶ ἐγώ, τρίτατος δ' Ἀΐδης, ἐνέροισιν ἀνάσσων. Τριχθὰ δὲ πάντα δέδασται ἕκαστος δ' ἔμμορε τιμῆς.* Aesch. Ctesiph. §. 154. *Τέτταρες ἤδη γεγένηνται καιροί, ἐν οἷς αὐτὸς πεπολίτευται.* Ibid. §. 133. *Θῆβαι, πόλις ἀστυγείτων μεθ' ἡμέραν μίαν ἐκ μέσης τῆς Ἑλλάδος ἀνήρπασται.* Ut autem perfectum ita ne futurum quidem illud per se tam constans et certum esse, ut, quando res eo indicata eventura sit, inde intelligi possit, argumento sint hi loci ex Ciceronis epistolis petiti. Etenim si ad Atticum lib. XVI. ep. 4. simpliciter ille scripsisset: „venationem, quae futura est" ignoraremus videlicet, quando venatio illa futura fuerit; quum autem dixerit: „venationem, quae postridie ludos Apollinares futura est" iam nulla de tempore nobis dubitatio remanet. Quod idem cadit in hos locos: ib. V. 20. „sed totum est, quod Kal. Martiis futurum est." XV. 20. „nisi explicata solutione non sum discessurus" (cf. Part. II. p. 3.).

Quare quum nobis demonstrasse videamur, in perfecti et futuri illius naturam haudquaquam cadere, ut ex solis formis earum, quando **futura** vel **facta**, sed tantum quando **sit** aliqua res cognosci possit *), progredi iam licet ad quaestionem tertiam, triumne illorum temporum constantia nihilominus tanta sit quanta ad reliquorum mobilitatem sistendam opus est. Cernitur illa, ut modo vidimus, in designando praesenti tempore. Quare si alia tempora ab iis ita quasi regi et gubernari vis, ut, quum per se libere per singula temporis spatia erratura essent, eorum potestate certo aliquo loco consistere cogantur, hoc ita tantum patet fieri posse, ut eorum ope revinciantur ad praesens tempus. Tantum igitur primum apertum est, ea tempora quae per se iam aliquo modo ad praesens pertinent, nullo modo in suspensorum illorum temporum ordinem recipi posse. Neque tamen Hermannus dubitavit recipere ea; quae enim modo dixerat per se certa et definita esse (*γράφω*, *γέγραφα*, scripturus sum) eadem paullo post vult ex definito praesenti illo suspensa esse. Id autem cum propter causam allatam constare cum vera ratione non possit, reliqua tantum sunt ea tempora, quibus nulla prorsus cum praesenti momento communio est. At hanc ipsam ob causam, quia aliena ab horum temporum natura est omnis praesentis significatio, necessario videtur statuendum esse, in praesenti tempore non posse „positam causam esse, qua illis ut suspensis ex hoc destinetur locus suus." Quod si tamen Hermannus terna eorum ex perfecto *γέγραφα* totidemque e futuro **scripturus sum** illo modo existimat apta esse, huius erroris fons sine dubio is est, quia definita illorum temporum vis ab eo non in conditione, sed in actione, quae iis exprimitur, posita est. In hunc autem rursus errorem induxit eum refutata iam supra (Part. II. p. 8.) veterum praecipue grammaticorum opinio, perfecto indicari actionem modo perfectam. Quae enim modo absoluta est actio, eius tempus quum proxime attingat praesens momentum aliquo certe modo dici potest definitum esse. Idem cadit in futurum illud **scripturus sum**, quod, si perfectum indicat actionem modo absolutam, non potest non indicare actionem absolvendam modo. Quamquam ne ita quidem satis intelligi potest, quomodo Hermannus adeo occaecari potuerit errore illo, ut prorsus et contra rationem et contra loquendi usum de temporibus illis statuerit. Etenim quum ille ea tempora, quae ex aliis pendent, aut praecedere his velit, aut una cum iis esse aut subsequi, ex perfecto, ait, ut praegressum pendere plusquamperfectum *ὅτε ἐγεγράφειν παραγέγονέ τις*, ut coniunctum tempus imperfectum *ὅτε ἔγραφον*

---

*) Vix opus monere videtur, in iis etiam locis, quibus nulla temporis commemoratione adiecta sponte intelligitur rem perfecto expressam aut modo aut eo ipso, quo loquimur, momento peractam esse, certi huius temporis intelligentiam non ex sola perfecti forma sed aut ex sententiarum nexu aut ex loquentis conditione petitam esse.

παραγέγονέ τις, ut succedens denique futurum imperfecti *ὅτε ἔμελλον γράφειν παραγέγονέ τις*. At tantum abest, ut tria haec tempora praeterita necessario pendeant ex perfecto, ut satis idonea etiam afferri causa possit, cur ex vere praeteritis potius debeant apta esse. Namque ut pares omnino facillime congregantur cum paribus, ita tempora etiam consentaneum est, quo propinquior alterius natura est alteri, eo facilius inter sese societatem inire. Tria igitur illa, quae Hermannus a perfecto regi vult tempora, quum solum spectent praeteritum, saepius sequitur consociatum iri cum iis temporibus, quae solius praeteriti, quam cum iis, quae simul praesentis notionem contineant. Quod autem evincit ratio, id egregie comprobatur usu. Trium enim illorum inter semet ipsa coniunctio temporum, quae ex Hermanni ratione inveniri deberet nunquam, omnium longe est usitatissima atque creberrima *), eorundem contra consociatio cum perfecto, in quam incidere nos oporteret ubique, admodum rara est atque insolita **). Quo autem nomine Hermannus in his praeteritis temporibus notandus est, eodem, si constitisset sibi, reprehendendus etiam foret in futuris. Quum enim ratio eius flagitaret, ut pro fundamento illorum poneret id tempus futurum, quod simul spectat ad praesens tempus: adventurus sum, positum potius ab eo id est, in quo solius futuri inest significatio: adveniet. Exempla enim, unde temporum a futuro suspenso-

---

*) Non tam confirmandae quam illustrandae huius sententiae causa ex ingenti eorum, quae sponte sese offerunt, exemplorum copia, nonnulla certe afferam: Herodotus lib. I. c. 116. *ἐπεὶ δὲ*, inquit, *ὑπελέλειπτο ὁ βουκόλος μοῦνος, μουνωθέντα τάδε αὐτὸν εἴρετο ὁ Ἀστυάγης*. IX. 39. *Ἡμέραι δέ σφι ἀντικατημένοισι ἤδη ἐγεγόνεσαν ὀκτὼ ὅτε ταῦτα ἐκεῖνος συνεβούλευε Μαρδονίῳ*. V. 20. *οἱ δὲ, ἐπεί τέ σφεων οἱ Πέρσαι ψαύειν ἐπειρῶντο, διεργάζοντο αὐτούς*. III. 57. *οἱ δὲ ἐπὶ τὸν Πολυκράτεα στρατευσάμενοι Σαμίων, ἐπεὶ οἱ Λακεδαιμόνιοι αὐτοὺς ἀπολείπειν ἔμελλον, καὶ αὐτοὶ ἀπέπλεον ἐς Σίφνον*. Cic. Att. XI. 17. Matri cam, quum primum per ipsam liceret, eram remissurus.

**) Quod Dissenio (p. 10.) videtur, tria illa tempora omnino non posse ad perfectum referri, id non verum esse, quum ex ipsa perfecti natura intelligi possit, quae propter actionem in praeteritum tempus cadentem non potest non commune aliquid habere cum temporibus vere praeteritis, tum exemplis, quae apud optimos scriptores inveniuntur, confirmatur vel maxime. Ita Jl. ω. 392. *Τὸν μὲν ἐγὼ μάλα πολλὰ μάχῃ ἔνι κυδιανείρῃ Ὀφθαλμοῖσιν ὄπωπα, καὶ εὖτ' ἐπὶ νηυσὶν ἐλάσσας Ἀργείους κτείνεσκε*, qui quidem temporum usus plane respondet exemplo ab Hermanno ficto *ὅτε ἔγραφον παραγέγονέ τις*, quamquam in eo non, ut huic videtur, praeteritum definitur perfecto, sed perfectum potius praeterito. Ex duabus enim, quae particula aliqua inter sese coniunctae sunt, enunciationibus, eam constat, quae instructa est particula, inservire definiendae alteri, quapropter mirari subit, cur Hermannus in omnibus, quae in hac doctrina finxit, dicendi exemplis, particulam addiderit ei enunciationi, quae accuratius definienda est altera. Dicit ille *ὅτε ἐγεγράφειν παραγέγονέ τις*, debebat autem dicere *ἐγεγράφειν ὅτε παραγέγονέ τις*, quamquam tum ille magis etiam, quantopere haec temporum coniunctio a loquendi usu abhorreat, sensurus fuisset.

rum appareat ratio, ficta ab eo haec sunt: „ὅτε γεγραφὼς ἔσομαι παραγενήσεταί τις quum scripsero adveniet aliquis, ὅτε γράψω παραγενήσεταί τις quum scribam adveniet aliquis, ὅτε γράψων ἔσομαι παραγενήσεταί τις, quum scripturus ero, adveniet aliquis," quum pro simplicibus futuri formis παραγενήσεται et adveniet semper usurpandae ei fuissent compositae μέλλει παραγίνεσθαι et adventurus est. At veritatis, credo, quodam sensu admonitus non convenire sibi quam falsa docere maluit.

Haec si vere a nobis disputata sunt, totum discrimen ab Hermanno inter tempora definita per se et definita aliorum ope positum apparet falsum esse. Hoc autem si falsum est, ne illud quidem, quod inter universum hoc temporum genus et aoristum ab eo constitutum est, potest verum esse: sublato autem hoc totam istam relationis doctrinam, qua ille tanquam crepidine quadam suam de temporibus disputationem sustineri vult, everti prorsus et tolli apertum est.

Confecto autem sic naturali quodam huius aoristorum doctrinae orbe, qui in eadem perseverare voluerunt postea ii non poterant non superiorum repetere opiniones et placita; id quod, ut alios mittam, a G. Muellero praecipue et Frid. Ellendtio *) factum est. Atqui veram aoristi naturam haudquaquam vidimus hac ratione explicatam fuisse. Alia igitur ineunda et re vera iam dudum inita erat. Quam tamen priusquam persequimur *non alienum* videtur in quaestionem vocare, *quem usum omnino grammatici* adhuc commemorati a nobis tribuendum existimaverint aoristo esse. Sequemur in hac re potissimum Hermannum ducem, quippe qui primus de ea disputaverit via et ordine et, quae disperse dicta erant a reliquis, generatim complexus sit omnia. Etenim quum non minus, quam reliqui omnes, ille incertam aliquam seu indefinitam existimet temporis partem significari aoristis **), dupliciter ait hanc vim eorum cerni posse, quum aut coniunctae cuiusque temporis partes omnes aut ex *omnibus cuiusque* temporis partibus aliqua certa pars, quaecunque demum *illa sit*, significetur iis. Et ex priore quidem significatione oriri

*) Uterque Hermannum ducem sequutus est (cf. Encyclop. artt. et litt. Erschii et Gruberi s. v. Aoristus, et Ephemeridd. litter. Halens. 1835. mens. Iun.) prior autem, quod mireris, ad illam etiam veterum quorundam magistrorum opinionem recidit, qua aoristus putabatur additis adverbiis temporis ex infinito tempore fieri posse finitum. Leguntur enim apud eum haec verba: „Die Form dieser Zeit (tempus infinitum) als aoristische Form erhält durch den Beisatz von Zeitadverbien festere Bestimmung z. B. Er schrieb — vorgestern früh um 7 Uhr." Cf. Steph. in Bekk. Anecdd. II. p. 892.

**) Cf. Dissen. de tempp. et modd. p. 16. „Ut aoristi cum aliis temporibus relatione non cohaerent, ita etiam definiti non sunt, quod ipsum nomen indicat, h. e. illud temporis momentum, quo quod factum esse significant, factum sit, prorsus relinquunt incertum. Ἔγραψεν indicat rem praeteritam, sed momentum illud temporis praeteriti, quo quis scripserit, non designat."

oriri notionem iterationis et consuetudinis, ut in Pindarico illo *πολλὰ δ' ἀνθρώποις παρὰ γνώμαν ἔπεσεν* et in Homericis *ἐπιμὶξ δέ τε μαίνεται Ἄρης* et *ὡς δ' ὅτε κινήσει Ζέφυρος βαθὺ λήϊον.* Hanc tamen frequentationis notionem quum sensisset ille cadere etiam in perfectum et imperfectum, illud opinatur idcirco non repugnare sententiae suae, quia in omnibus perfecti exemplis, quibus consuetudo indicetur, ut in notissimo illo *ὃς Χρύσην ἀμφιβέβηκας*, non aliam esse huius temporis quam praesentis vim. Assensi ei sunt Matthiaeus *), Hertelius **), Kuehner ***) alii, contra primus dixit Dissenius, qui recte monet †), si in praesenti insit consuetudinis notio, hanc ne a perfecto quidem, quod praesenti ut fundamento suo nitatur, abiudicari posse, quamquam locus ab eo ex Matthiaei vel potius ex Fischeri copiis allatus Xen. Cyrop. IV. 2, 22. *οὐδέν ἐστι κερδαλεώτερον τοῦ νικᾶν· ὁ γὰρ κρατῶν ἅμα πάντα συνήρπακε* tum propter scripturae discrepantiam, ferunt enim nonnulli codices aoristum *συνήρπασε*, tum quia hic quoque perfectum videri possit habere praesentis vim, parum idoneus est ad vindicandam illam notionem etiam iis perfectis, in quibus propria apparet vis perfecti h. e. in quibus praeteriti actio non oblitterata est conditione praesentis temporis. Neque deest tamen satis magna eorum, qui huc faciunt, locorum copia. Hom. Jl. ο. 140. *Ἤδη γάρ τις τοῦγε βίην καὶ χεῖρας ἀμείνων Ἢ πέφατ' ἢ καὶ ἔπειτα πεφήσεται* ††). Herodot.

---

*) Gramm. Gr. ampl. §. 502.

**) In commentatione de temporum praeteritorum apud Homerum ratione et usu. Zwick. 1833. „Non autem reperiri perfectum in significatione aoristi ea, in qua solere inest, ut in formulis Hom. Jl. α, 37. *ὃς Χρύσην ἀμφιβέβηκας*, quoniam etiam hic praesentis potestas obtinet, dudum docuit Hermannus de emend. p. 198."

***) Gramm. gr. ampl. vol. II. p. 71. „Solche Perfectformen, welche Präsensbedeutung haben, können, wie das Präsens, eine Wiederholung in der Zeit ausdrücken, als Jl. α. 37."

†) de tempp. et modd. p. 21.

††) Participium perfecti eodem modo ab Homero dictum habes Jl. ι. 320. *Κάτθαν' ὁμῶς ὅ τ' ἀεργὸς ἀνὴρ ὅ τε πολλὰ ἐοργώς*, cuius participii vis neglecta ab Hermanno in causa fuit, cur hic nisi inferendo in aoristum *κάτθανεν* potestatis significationem hunc locum negaret omnino recte intelligi posse. Verba enim eius in libro secundo de emend. rat. Gr. gr. p. 188. haec sunt: „Quorum versuum postremo si Achilles diceret, pariter ignavos ac strenuos mori solere, sententia nasceretur prorsus inepta iisque, quae dici debebant, contraria. Nam quum Achilles causas exponat, quare a bello abstinere malit, excitari magis ad pugnam debebit, si segnes et inertes pariter ac fortes bellicososque mori solere reputat, quam a pugnando deterreri. Quis enim si semel moriendum est, inglorius mori, quam nobili leto occumbere malit? Notum est illud: *Ἀλλ', ἔμπης γὰρ κῆρες ἐφεστᾶσιν θανάτοιο Ἴομεν, ἠέ τῳ εὖχος ὀρέξομεν ἠέ τις ἡμῖν.* Inde factum est, ut Koeppenius, qui vim aoristi non perspexisset, interpolatione locum corruptum arbitraretur. At vero *κάτθανεν* hic est mori potest. Ergo hoc dicit Achilles: Eadem cessantis est et fortiter pugnantis sors; idem ignavi honor et stre-

VII. c. 10. §. 4. ubi Artabanus persuasurus Xerxi, ut, priusquam bellum Graeciae inferat, rem denuo in deliberationem vocet, inducitur ita loquens: *Τὸ γὰρ εὖ βουλεύεσθαι κέρδος μέγιστον εὑρίσκω ἐόν· εἰ γὰρ καὶ ἐναντιωθῆναί τι θέλει, βεβούλευται μὲν οὐδὲν ἧσσον εὖ, ἕσσωται δὲ ὑπὸ τῆς τύχης τὸ βούλευμα· ὁ δὲ βουλευσάμενος αἰσχρῶς, εἴ οἱ ἡ τύχη ἐπίσποιτο, εὕρημα εὕρηκε, ἧσσόν τε οὐδὲν οἱ κακῶς βεβούλευται*, ubi si quis perfecta mutare vellet in praesentia, perverteretur prorsus loci sententia, quod idem valet de lib. IV. c. 199. ubi Herodotus ternas Cyrenaicae annuas messes ita describit: *Πρῶτα μὲν τὰ παραθαλάσσια τῶν καρπῶν ὀργᾷ ἀμᾶσθαί τε καὶ τρυγᾶσθαι· τούτων τε δὴ συγκεκομισμένων, τῶν ὑπερθαλασσιδίων χώρων τὰ μέσα ὀργᾷ συγκομίζεσθαι, τὰ βουνοὺς καλέουσι· συγκεκόμισταί τε οὗτος ὁ μέσος καρπὸς, καὶ ὁ ἐν τῇ κατυπερτάτῃ τῆς γῆς πεπαίνεταί τε καὶ ὀργᾷ. ὥστε ἐκπέποταί τε καὶ καταβέβρωται ὁ πρῶτος καρπὸς καὶ ὁ τελευταῖος συμπαραγίνεται* *). Adde lib. IX. c. 26. *πολλοὶ μὲν γὰρ καὶ εὖ ἔχοντες πρὸς ὑμέας*

---

nui, nec minus mori potest, qui bello abstinet, quam qui in praeliis versatur." At si Hermannus pro praesenti versatur posuisset, quod sermo flagitat, versatus est (Jl. *β*. 272. *γ*. 57. 352. *ε*. 125.) aliter, credo, ille de hoc loco iudicaturus fuisset. Etenim praesens pertinet ad mortem proeliorum fortuna, perfectum ad mortem necessitate fati adductam. A neutra quidem recte dicitur neque fortitudinem neque ignaviam defendere posse. At non eandem tamen huius sententiae commemoratio, prout aut hoc aut illud mortis genus spectatur, in hominum animos vim exercet. Si enim et ignavi et fortes in ipso proelii discrimine dicuntur interfici posse, hoc facile apparet non posse nisi cohortandi adque virtutem inflammandi vim habere, ut in nobili illo Horatii loco a Koeppenio iam excitato. „Dulce et decorum est pro patria mori, Mors et fugacem persequitur virum." Si vero fataliter omnes, sive ignavi sive fortes fuerint, obire mortem dicuntur, hoc duplicem videtur et excitandi et deterrendi habere potestatem posse. Excitabitur qui secum reputat, etiamsi nunc effugerit mortem, aliquando tamen se ea abreptum iri, praestare igitur, nunc fortiter pugnando oppetere nobilem eam, quam postea naturae cedendo exstingui inglorium; deterrebitur contra qui cogitaverit, quum ne fortitudo quidem a communi omnibus moriendi necessitate liberare possit, tranquillam se malle et otiosam vitam transigere quam periculis laboribusque susceptis turbare eam. Illa ratione Sarpedo apud Homerum (Jl. *μ*. 316.) fugientem amicum revocare in pugnam studet, hac nostro loco Achilles utitur, ut, cur a pugna abstineat, explanet hortatoribus. Quo iure autem Homerus fortissimum bellicosissimumque Graecorum potuerit ita loquentem facere, id perspicue eleganterque expositum a Koeppenio est. Nexus autem sententiarum, quem hic existimat illo versu turbatum esse, videtur hic esse, ut Achilles postquam versibus 319. et 320. in universum dixit, neque ab hominibus neque a diis magis quam ignavum virum curari fortem, inde a versu 321. rursus se solum spectans sibi certe dicat non e re fuisse, obiecisse toties animam periculis bellicis.

*) Hacc verba quum Laur. Valla ita interpretatus esset, ut primam quidem perfecti formam *συγκεκομισμένων* Latine quoque reddidisset perfecto his compositis, reliquas autem praesentibus dum hi fructus adornantur et dum primi fructus eduntur atque bibuntur, Wesselingius probe intelligens, indicativum *συγκεκόμισται* non minus oporte-

ἡμῖν, ἄνδρες Σπαρτιῆται, ἀγῶνες *ἀγωνίδαται*, πολλοὶ δὲ καὶ πρὸς ἄλλους *). **Thuc. II. c. 40.** ubi Pericles οὐ γάρ, inquit, πάσχοντες εὖ ἀλλὰ δρῶντες κτώμεθα τοὺς φίλους. βεβαιότερος δὲ ὁ δράσας τὴν χάριν ὥστε ὀφειλομένην δι' εὐνοίας ᾧ *δέδωκε* σώζειν· ὁ δ' ἀντοφείλων ἀμβλύτερος, εἰδὼς οὐκ ἐς χάριν, ἀλλ' ἐς ὀφείλημα τὴν ἀρετὴν ἀποδώσων. Cf. ib. IV. cap. 17. ξυμβεβήκασι. Neque aliter Latini, ut Cic. Nat. D. III. c. 28. Multi et quum obesse vellent *profuerunt* et quum prodesse *obfuerunt*. Ita non fit ex eo, quod datur, ut voluntas eius, qui dederit, appareat; nec si is, qui *accepit*, bene utitur, idcirco is, qui *dedit*, amice *dedit*.“

In perfectum igitur contra Hermannum statuendum erit consuetudinis notionem non minus cadere quam in aoristi tempus. Audiamus nunc eum imperfectum tempus, a quo maius etiam ei quam a perfecto videtur doctrinae suae periculum nasci, defendentem a significatione illa. „Eandem, inquit, significationem etiam imperfecto tribuunt grammatici. Quorum si vera sententia est, vereor ne omnium temporum ratio in magnas atque inextricabiles difficultates incidat.“ Conatur deinde has difficultates tollere ita, ut imperfectum dicat quum semper ad aliquod aliud tempus referendum sit, ita tantum aliquam frequentationis notionem continere posse, ut non omnino h. e. non quavis temporis parte, quod aoristorum sit, sed certo quodam tempore aliquid fieri consuevisse dicatur. „Quare, inquit, facillime diiudicari potest, quid sit discriminis, utrum aliquid fieri solere aoristo praeterito an imperfecto dicatur. Nam quae aoristo praeterito fieri consuevisse dicuntur, ea

---

re vim perfecti habere quam antecedens participium συγκεκομισμένων, hunc quidem Vallae errorem emendavit vertendo simul hic *medius fructus collectus est*, reliqua autem praesentia *bibitur* et *editur* corrigenda reliquit *Schweighaeusero*, qui mutavit tandem illa in ea tempora, quae et rei et linguae natura flagitat h. e. in perfecta *quando epotus commensusque est primus fructus*.

*) Quartus ex Herodoto locus, qui huc videtur referri posse, est lib. I. c. 193. ἐκ δὲ κέγχρου καὶ σησάμου ὅσον τι δένδρον μέγαθος γίνεται, ἐξεπιστάμενος μνήμην οὐ ποιήσομαι, εὖ εἰδώς, ὅτι τοῖσι μὴ ἀπιγμένοισι ἐς τὴν Βαβυλωνίην χώρην καὶ τὰ εἰρημένα καρπῶν ἐχόμενα ἐς ἀπιστίην πολλὴν *ἀπῖκται*, quae posteriora verba *Laur. Valla* et *Wesselingius* verterunt „probe sciens, iis qui nunquam Babyloniam regionem adierunt, quae de frugiferis dicta sunt, perquam incredibilia *visum iri*“, *Schweighaeuser* „satis gnarus eos, qui .... ne his quidem ... *fidem adhibituros*.“ Perfectum igitur acceperunt pro futuro neque causa latet, cur hoc fecerint. Scilicet quae modo Herodotus de frugibus Babyloniae narraverat, ea quum nondum lecta essent hominibus, nullo modo iam credita non *esse* sed tantum creditum non *iri* ab eo dici poterant. At in hac ipsa ratione latet, opinor, vitium, quo sublato non vim afferre sermoni cogimur. Noli enim verba τὰ εἰρημένα referre ad ea, quae modo ab Herodoto scripta sunt, sed ad ea, quae de Babyloniae foecunditate et ab aliis iam antea et ab eo ipso fortasse, priusquam litteris consignaret, dicta erant, neque est profecto cur non veram perfecti significationem in hoc etiam loco retinere possis.

quocunque praeterito tempore fieri solita indicantur, unde merito colligitur, et etiamnum fieri solere et posthac fieri posse; quae autem imperfecto tempore fieri consuevisse significantur, ea ad certam tantummodo partem praeteriti temporis, quae quidem ex alio tempore pendeat, pertinent, neque illa, quae ante aut post istam temporis partem fieri consueverint, comprehendunt." At huic quoque sententiae a **Dissenio** *), **Kuehnero** **) aliis acceptae obloquitur dicendi magister et arbiter usus, qui aoristo etiam docet rem certo quodam tempore repetitam designari posse. Ita **Homerus** (Jl. ϑ. 188.) quum Hectorem ita facit alloquentem equos suos: *Νῦν μοι τὴν κομιδὴν ἀποτίνετον ἣν μάλα πολλὴν Ἀνδρομάχη, θυγάτηρ μεγαλήτορος Ἠετίωνος, Ὑμῖν παρ' προτέροισι μελίφρονα πυρὸν ἔθηκεν Ἢ ἐμοί*.. manifesto non de quocunque sed de eo tantum praeterito tempore, quo Andromache cum Hectore connubio iuncta erat, cogitari vult. Neque aliter aoristo utuntur posteriores, **Herodot.** V. c. 58. *οἱ Ἴωνες παραλαβόντες διδαχῇ παρὰ τῶν Φοινίκων τὰ γράμματα, μεταῤῥυθμίσαντές σφεων ὀλίγα, ἐχρέωντο· χρεώμενοι δὲ ἐφάτισαν, ὥσπερ καὶ τὸ δίκαιον ἔφερε, ἐσαγαγόντων Φοινίκων ἐς τὴν Ἑλλάδα Φοινικήϊα κεκλῆσθαι.* **Soph. Trach.** 1076., ubi Hercules doloribus cruciatus ita compellat filium *Ἴθ', ὦ τέκνον, τόλμησον οἴκτειρόν τέ με Πολλοῖσιν οἰκτρὸν, ὅστις, ὥστε παρθένος, Βέβρυχα κλαίων. καὶ τόδ' οὐδ' ἂν εἷς ποτε Τόνδ' ἄνδρα φαίη πρόσθ' ἰδεῖν δεδρακότα· Ἀλλ' ἀστένακτος αἰὲν*

---

*) De tempp. et modd. p. 19. „Gravius est, quod primus, opinor, acute monuit Hermannus de Em. r. g. g., alium esse sensum, si quid aoristis, alium si quid relativis fieri consuevisse significetur. Quum enim aoristis quae indicatur repetitio et consuetudo, utpote indefinitis momentis collocata, ad omne spatium temporis eius pertineat, cuius quisque est aoristus; relativis quae exprimitur iteratio et consuetudo certae alicuius temporis partis limites non excedit."

**) Gramm. Gr. ampl. vol. II. p. 76. „Auch das Imperfect drückt zuweilen eine Wiederholung aus, aber nie schlechtweg, wie der Aorist, sondern immer in Beziehung auf ein anderes, gleichfalls in die Vergangenheit fallendes Prädicat. Während der Aorist überhaupt angiebt, dass etwas in der Vergangenheit öfters geschah, ohne weitere Bestimmung, so zeigt das Imperfect nur an, dass eine Thatsache in irgend einem gewissen Theile der Vergangenheit, welcher durch eine andere in der Vergangenheit liegende Thatsache bestimmt wird, öfters wiederkehrte, nicht aber weder vor dieser noch nach dieser vorgefallen ist. Demosth. c. Aphob. I. p. 834, 65. *καὶ ὑμεῖς μὲν (sc. δικασταί) οὐδὲ τῶν εἰς ὑμᾶς ἁμαρτανόντων ὅταν τινὸς καταψηφίσησθε, οὐ πάντα τὰ ὄντα ἀφείλεσθε, ἀλλ' ἢ γυναῖκας ἢ παιδί' αὐτῶν ἐλεήσαντες μέρος τι κἀκείνοις ὑπελείπετε·* non omnem rem familiarem eripere, sed partem aliquam illis relinquere solebatis. Zuerst steht hier der Aorist *ἀφείλεσθε*, weil hier die Wiederholung allgemein ausgedrückt wird, dann das Imperfect *ὑπελείπετε*, weil dieses Prädicat auf das erste bezogen wird, nämlich als ein solches, welches erst dann einzutreten pflegte, wenn das andere eingetreten war." At quis non videt, aoristum *ἀφείλεσθε* quoque referendum ad certum aliquod tempus esse? Iudices enim non omnem rem familiarem illis eripuisse dicuntur tum, quum condemnassent eos.

ἐσπόμην κακοῖς. **Thuc. III. 54.** *εἴ τέ τι ἄλλο κατ' ἐκεῖνον τὸν χρόνον ἐγένετο ἐπικίνδυνον τοῖς Ἕλλησι, πάντων παρὰ δύναμιν μετέσχομεν.* **Si vero quis dixerit fortasse, aoristum posse, imperfectum debere hac ratione usurpari, ne ita quidem potest discrimen illud pro vero haberi; quod enim duabus rebus commune est, id nullo modo ut proprium et peculiare quoddam tribuere earum alteri licet.**

Quae quum ita sint, recte Dissenius (p. 18.) „quum nullum, inquit, omnino tempus proprie eam vim habeat, ut simul semel an saepius res aliqua facta sit, fiat, futura sit, indicet, nihil obstat, quominus eadem verbi forma promiscue utaris, sive semel, sive sexcenties rem aliquam factam esse significare velis, si modo, quid unoquoque loco verum haberi debeat, aliunde constet. Quare quum definiendus sit numerus, scimus omnes adverbia numeralia addi debere, ut *δὶς ἐστεφανώσατο*; **ubi vero simpliciter una quadam temporis parte factae res indicantur, aut quae diversis momentis repetitae in consuetudinem abierunt, facile ex sensu loci, quid verum sit, eruitur.“ His autem lectis quum nemo non exspectaturus sit, consuetudinis notionem tributum a Dissenio iri temporibus omnibus, paullo post tamen ille falsa, quam de relatione sibi finxit, opinione deceptus et relativa praesentia contendit excipienda inde *) et aoristi hanc significationem propriam esse **). Quae quantopere pugnent cum antecedentibus, vix esset, cur monerem hoc loco, nisi grammaticos eos, qui post Dissenium quoque consuetudinis vim voluerunt propriam aoristo esse, prorsus fugisse videretur repugnantia illa. Laudandus igitur est Aug. Fritschius qui nuper primus tandem aperte docuit, omnia sine ulla exceptione tempora de consuetudine dici neque hinc igitur ullum inter ipsa tempora discrimen peti posse ***).**

---

*) „Quae quum ita sint, hic significatus .... haud cunctanter omnibus omnino temporibus tribui potest praeter praesentia relativa.“ Quis autem non mirabitur, paullo post tamen (p. 20.) iisdem his praesentibus ab eo aoristorum vim tum universam tum eam etiam, qua repetitio indicetur, tributam esse? Scilicet relativa praesentia, „quum ad unum illud momentum pertineant, quo quis iis utitur“ (p. 19.), ubi de re repetita dicantur, non amplius opinatur talia, qualia ipse constituit, relativa esse. Ut autem taceam relationem istam saepissime consociatam esse cum repetitionis vi, quis non intelligit, si hoc modo liceret et constituere notiones temporum et constitutas rursus tollere, tum futilissimas quasque defendi a quoque posse facillime?

**) „Concedas perfectum (*ξυνήρπακε* illud ex Xen. Cyrop.) nunc non agere de re tum peracta, quum homo loqueretur, sed cuius peractio diversis iisque indefinitis temporis partibus repeti dicatur, quod est aoristi.“

***) Cf. liber eius, qui inscribitur Kritik der bisherigen Grammatik P. I. p. 19. Quam vehementer autem grammatici propter opinionis, quam defendunt, vanitatem secum ipsi in hac re dissentiant, idem ille ostendit in commentatione de aoristo scripta p. 9.

Transire iam licet ad significationem alteram eamque primariam, quae ab Hermanno et ab omnibus reliquis, quorum adhuc a nobis commemorata doctrina temporum est, aoristo tribui solet. Indicari eo dicunt unam quidem at incertam eam partem temporis. Cuius significationis Hermannus ait in praesenti tempore satis perspicua exempla esse, quae vulgo dici soleant dicunt, ferunt, perhibent, dicitur, fertur, perhibetur. „Quibus, inquit, verbis minime significatur aliquid perhiberi hoc ipso tempore, quo quis hoc verbo perhibent utitur; sed omnino indicatur aliqua eaque certa quidem praesentis temporis pars, sed una tamen de multis, neque ita, ut, quae illa pars sit, constet.“ At illis exemplis, quibus Dissenius quoque ad declarandam indefinitam aoristi vim utitur *), manifesto continetur iterationis notio. Itaque alia Hermanno, quibus hanc praesentis significationem probaret, quaerenda exempla erant. At frustra sine dubio quaesiturus fuisset, nam est naturae praesentis prorsus contraria illa. Hoc enim quum constet ei momento, quo aliquis loquitur, adiacere ita utrimque, ut tamquam copula quadam contineatur eo, quicunque praesentis temporis forma utitur, non potest non cogitare tale spatium, quod illud momentum temporis complectatur terminis suis. Ergo duplex tantum praesentis temporis potest usus esse, aut is, quo actio aliqua per totum illud spatium, sive brevissimum hoc est sive longissimum, pertinet, ut *scribo nunc*, *vivo*, *est deus*, aut is, quo repetitio actionis indicatur eiusmodi, ut et ante illud momentum haec dicatur saepius facta esse et eo ipso fieri et post id etiam factum iri. Ibi habes significationem definitam, hic indefinitam at indefinitam eam, qua indicetur iteratio. Hanc autem quum viderimus non propiam aoristis esse, praesens quidem patet iniuria ab Hermanno in eorum numerum receptum esse.

Reliqui sunt futuri et praeteriti aoristi, quos quidem etsi nemo negabit de una eaque incerto tempore futura aut facta re usurpari posse, id tamen tantum abest ut eorum naturae dici proprium possit, ut et ipsi de certa aliqua et reliqua contra praeterita de incerta temporis parte dici possint. Ita futurum illud **) saepissime de eo, qui nunc se aut missurum aut memoraturum aliquid esse dicit,

*) „Si quis tamen dubitet de aoristo praesenti (nam aoristum futuri neminem video qui non caperet,) eum recordari velim, tempus praesens non semper intelligi de uno momento, sed saepissime sensu dici latiori; atqui si plures sunt temporis praesentis partes, aoristus quomodo locum haberi possit, obscurum esse nequit. Quare v. c. notissimum illud *φασί*, dicunt, ferunt, facile videbis aoristi vim habere, si omne illud temporis spatium, quo rumor feratur, praesens dici, nec iam definitum aliquod eius momentum indicari consideraveris.“

**) De futuro Hermannus ipse hoc concedit p. 204.: „Futurum *γράψω* nunc definiti temporis vim habet, quae proprie sic exprimitur, *μέλλω γράφειν*, nunc relativum tempus continuatumque alio futuro tempore significat, nunc denique futurum notat indefinitum sive aoristum,“ quam-

ut παρήσομεν Herodot. I, 14. 177. φράσω II, 14. 24. 155. 156. III, 6. 103. V, 49. 65. 111. VIII, 55. 68. δηλώσω I, 192. IV, 36. 81. λέξω IV, 14. ἀπηγήσομαι IV, 38. ὀνομανέω IV, 47. σημανέω IV, 127. V, 54. μνήμην ποιήσομαι VI, 55., addito interdum etiam certi cuiusdam temporis adverbio, ut ἤδη φράσω ib. II, 147. νῦν πειρησόμεθα IV, 119. V, 91. Neque aliter praeteriti aoristus in innumerabilibus plane locis ut in notis illis post finitam orationem ὣς φάτο, ὣς ἄρ' ἐφώνησεν, et adiecta certi temporis significatione Jl. α, 22. Ἔνθ' ἄλλοι μὲν πάντες ἐπευφήμησαν. 54. τῇ δεκάτῃ δ' ἀγορήνδε καλέσσατο. 92. καὶ τότε δὴ θάρσησε. 425. χθιζὸς ἔβη κατὰ δαῖτα. Contra reliqua, quae ad praeteritum aliquo modo pertinent, tempora non raro inservire incerto eiusmodi indicando tempori testentur imperfecto Simonides in elogio illo Μυριάσιν ποτὲ τῇδε τριηκοσίαις ἐμάχοντο Ἐκ Πελοποννάσου χιλιάδες τέτορες (Gaisf. Poet. min. vol. III. p. 167.) et Aesopus initio multarum fabularum, ut Δύο φίλοι τὴν αὐτὴν ὁδὸν ἐβάδιζον, Δρῦς καὶ κάλαμος ἤριζον περὶ ἰσχύος, perfecto Herodotus II. c. 114. Ἄνδρα τοῦτον, ὅστις κοτέ ἐστι ἀνόσια ἐργασμένος ξεῖνον τὸν ἑωυτοῦ, συλλαβόντες ἀπάγετε παρ' ἐμέ et Sophocles Aj. 1050. ubi Teucer Menelai verba Ἤδη ποτ' εἶδον ἄνδρ' ἐγώ mutata temporis forma sed idem significaturus ita repetit Ἐγὼ δέ γ' ἄνδρ' ὄπωπα, plusquamperfecto denique rursus Herodotus I. c. 77. Κροῖσος παρακαλέσας μὲν Αἰγυπτίους κατὰ τὸ ὅρκιον (ἐποιήσατο γὰρ καὶ πρὸς Ἄμασιν βασιλεύοντα Αἰγύπτου συμμαχίην πρότερον ἤπερ πρὸς Λακεδαιμονίους) μεταπεμψάμενος δὲ καὶ Βαβυλωνίους, (καὶ γὰρ πρὸς τούτους αὐτῷ ἐπεποίητο συμμαχίη) .... ἐνένωτο στρατεύειν ἐπὶ τοὺς Πέρσας.

(Particula quarta eaque ultima edetur propediem.)

---

quam haec verba quam maxime pugnant cum iis, quae leguntur antea (p. 197.) „qui dicit γράψω scribam, non nunc se scripturum demonstrat, quod dici deberet μέλλω γράφειν scripturus sum, sed omnino aliquando fore, ut scribat, ostendit."

[illegible]